DE

C. SALUSTI CRISPI

VITA, MORIBUS ET SCRIPTIS.

Von

MATTHIAS JÄGER,
Weltpriester und Gymn.-Professor.

Zwei Programm-Abhandlungen.



Salzburg 1879 und 1884.
Verlag des f. e. Collegiums Borromäum.
Zaunrith'sche Buchdruckerei.

De vita C. Salusti Crispi commentatio.

Prooemium.

De vita C. Salusti Crispi quoniam multi iique doctissimi viri scripserunt, non ut nova inveniam, sed ut, quae illi optime disseruerunt, diligenter conquiram, inter se conferam candideque exponam, contendendum mihi esse puto. Quod quo melius procedat, brevem eorum, qui de vita C. Salusti tractaverunt, indicem tamquam notitiam litterariam praemittam.

Atque vitam C. Salusti Crispi scriptam reliquisse Qu. Asconium Pedianum, qui vixit circiter aa. Ch. 3—88, Helenius Acro ad Hor. S. 1, 2, 41 adnotavit, addidit enim ad ea, quae Porphyrio de Salusti adulterio scripserat, haec: „Quem Asconius Pedianus in eius vita significat“ [1]) vel: „Ut refert Asconius in eius vita.“ [2]) Quae vita cum aetatem non tulerit, neque illum „antiquum auctorem, qui vitam Sallustii scribit“, ut refert Io. Bapt. Pius (cc. annum Chr. 1500) Annotationum posteriorum capite 84 [3]), usquam invenerim, praeter ea, quae Salustius de se ipse scribit, in primis conquirenda mihi fuerunt ea, quae scriptores veteres de C. Salusti vita per occasionem adnotaverunt.

Et triginta fere sunt, quos inspicere mihi licuit, quos quoniam suo loco memorabo, hic non enumero, sed ad eos transeo, qui quo tempore studium litterarum Romanarum revixit, de Salusti vita commentati sunt. Et primus quidem Franciscus Petrarca (1304—1374) in primo rerum memorabilium libro pauca de Salustio disseruit, quae cum suo loco proferam hoc loco omitto. Aliquanto plura de Salusti vita Laurentius Valla (1415—1457) commentariis in C. Crispi Salusti bellum Catilinarium praemisit, quae sunt in exemplari Mediolanensi anni 1508 fol. 1. Laurenti Vallae discipulus, qui idem magistro successit, Iulius Pomponius Laetus (1457—1497) aut ipse vitam Salusti scripsit, aut ab alio scriptam emendavit. Est enim in vetustissimo C. Salusti operum exemplo, in quo neque locus neque annus, quo in lucem prodiit, notatus est: „C. Sallustii vita Romae per Pomponium emendata Brixiaeque per Io. Britanicum diligentissime revisa.“ Quae vita in posterioribus

---

[1]) Teuff. Sall. 1 adn. 3, p. 2; idem H. L. R² 290 adn. 2.

[2]) Gerl² p. XV.

[3]) Voss. p. 15, Burettus p. XVI.

Pomponi aliorumque exemplaribus vita Pomponi Laeti inscribitur. Praesto mihi fuit haec vita cum in aliis tum maxime a Iodoco Badio Ascensio explanata in exemplari Lugdunensi 1509 fol. 4, 2. In eodem exemplari inest etiam Epistula Pomponi Laeti de Salustio ad Augustinum Maffeum et „Sallusti vita per Iohannem Chrysostomum Soldum“ (Brixianum 1502), qui vitam et mores acriter reprehendit, scripta laudibus extollit.

Exstant etiam aliae duae vitae iisdem fere temporibus conscriptae, quarum prior in exemplaris Basileensis (1590) elogio inscribitur: „Salustii vita, mores et studium ex Petro Crinito“ (Riccio 1465—1505), posterior in eodem exemplari (p. 7 sqq.) „Ex Anonymo. Ex Germano quodam“ inscribitur, quam, cum in vetustioribus libris, ut Thomae Murchi (Lugd. 1504) „C. Salustii oratoris clarissimi vita“ inscribatur, ab ipso Murchio conscriptam esse puto. Eandem fere vitam paucis mutatis aut omissis in fine exemplaris Mediolanensis (1508) manu adscriptam repperi. Eo autem hae Criniti et Murchi vitae ab illis Pomponi et Soldi differunt, ut diligentius sint elaboratae, et quamvis Salusti vitia non reticeant, perditis tamen civitatis moribus eum excusent.

Omitto ea, quae Philippus Beroaldus (1443—1505) in praefatione Salustiana (Lugd. 1509 fol. IIII), quae Raphael Volaterranus (1521) in anthropologia (exempl. Basil. 1590 p. 10), quae Iulius Caesar Scaliger (1484—1558) in oratione pro Cicerone et in Poët. lib. 3 cap. 96 et l. 4 cap. 24, quae Ludovicus Vivés (1492—1540) in ep. 2 de ratione studii sub titulo historiae, quae denique Estaugius et Huldericus Huttenus (1488—1523) in Salusti scriptis laudaverunt, in vita vituperaverunt; memorasse sufficiat Henricum Glareanum (1488—1563), Iacobum Bononiensem (1530), Omnibonum (1524), Philippum Melanchtonem (1497—1560), C. Caelium Secundum Curionem (1503—1569), Aldum Manutium (nepotem 1563), Cyprianum et Ausonium a Popma (circ. 1570), Ludovicum Carionem (1579), Ianum Mellerum Palmerium (1580), Ianum Douzam (1580), Petrum Ciacconium (1594), Fulvium Ursinum (1595), Heliam Putschium (1602), ipsum denique Ianum Gruterum (1607), qui doctissimi C. Salusti interpretes in suis quisque operum Salustianorum commentariis de vita et scriptis eius praefati sunt pauca.

Venio ad Gerardum Ioannem Vossium (1577—1649), eruditissimum virum, qui (a. Chr. 1627) in primo de historicis latinis libro cap. 15 Salusti vitam et scripta uberius tractavit. Eius verba typis expressa mihi praesto fuerunt in exemplo editionis Mannhemii a. 1779 factae. Post eum Ioannes Clericus (Jean Leclerc 1657—1736) circa initium saeculi duodevicesimi scripsit Salusti vitam, quam, cum nusquam inspicere potuerim, hoc loco memorasse sufficiat. Neque ex D. G. Molleri dissertatione de C. Salustio Crispo, quae Altdorfi anno Chr. 1684 in lucem prodiit, quidquam proferre possum, nisi quod Wieland [1]) eum „Sallustiorum gentem Romae quon-

---

[1]) ad Hor. S. 1, 2. 41 p. 59.

dam fuisse amplissimam" argumentis non allatis statuisse refert. Neque ea, quae Io. Albertus Fabricius[1]) et I. N. Funccius[2]) de vita et scriptis Salusti disseruerunt, perscrutari mihi licuit. Id unum mihi persuasi, omnes fere, qui ante Cortium de Salustio scripserunt, mores eius acriter reprehendisse, scripta laudibus extulisse, neque fuisse quemquam, qui auctorum fidem in dubium vocare auderet.

Ausus est tandem Gottlieb Cortius (1698—1731), qui in editionis absolutissimae (Lipsiae 1724) praefatione „vitia eius Lenaei Pollionisque male-„dictis aut ineptiis eorum, qui Dionem Cassium descripserunt, sive Acronis „auctoritati originem debere" monuit. Quod Cortius presse monuerat, uberius exposuit Christophorus Mart. Wieland (1793—1813), qui nona versioni pulcherrimae Saturarum Horati adiecta nota (p. 57 sqq.) defendendo Salustio operam navavit.

Inde enim a Cortio in duas partes discesserant scriptores, quorum alteri accusarunt, alteri defenderunt Salusti mores. Defendit Thyonius in notis ad Clerici vitam versioni gallicae praemissam adiectis (1730), quem secutus est Massonius in versione Parisiis a. Chr. 1779 edita et postea Mallebrunus et Mollevautus, qui Salusti mores non inferiores quam Ciceronis aut Catonis aut cuiuslibet alterius boni civis fuisse existimarunt.[3]) Accusarunt I. I. H. Nast[4]) et Ross[5]) et A. G. Meisner.[6]) Quem secuto M. Henrico Kunhardt „neque culpa, nec omni prorsus excusatione indignus visus est" Salustius.[7]) Medii fuerunt I. C. Schluter et Weinzierl (ante suam quisque versionem germanicam) et M. I. C. W. Dahl in praefatione editionis Brunovicensis (1801). Iam vero paulo post initium huius saeculi exstiterunt duo viri doctissimi, qui quod fieri solet in rebus dubiis, cum ingenio suo confisi nimium probare studerent, controversiam de moribus Salusti exortam non modo non composuerunt, sed etiam acrius intenderunt. Alter enim, Otto Maur. Müller, libello, qui inscribitur C. Sallustius Crispus, Züllichaviae 1817 edito omnibus criminibus absolvere conatus est Salustium, alter Ioan. Guil. Loebell eo quem contra Müllerum scripsit libro (Vratislaviae 1818) eum omni ex parte damnavit. Post Müllerum mores Salusti defendendos humanissime suscepit Bartholomaeus Nardinus, qui in editione operum Salusti Brixiae 1819 facta notas Salusti famae inustas quoad licuit pro sua in tam eximium virum admiratione et grata memoria diluere studuit.

Nardinum praeter Burnoufium et Harlesium maximam partem secutus est Aug. Pappauer iis, quae in editione Viennensi (1835) de Salusti vita, genere dicendi et scriptis praefatus est. Idem fere, ut Salustium absolverent,

---

1) Bibliotheca latina a. 1697 primum edita. Vol. I, 9 p. 235 sqq.

2) De virili aetate linguae latinae. Pars II. cap. IIII. §§ 9 sqq. Marburgi 1723 sqq.

3) Bähr, hist. Lit. Rom. 4§§ 234 nota 12 und 14.

4) lib. de virtutibus historiae Sallustianae. Stuttgardiae 1785.

5) adversaria de moribus Sallusti. Giessen 1788.

6) descriptio vitae Salusti versioni Catilinae (Lipsiae 1790) praemissa.

7) vid. editionis eius (Lipsiae 1812) notitiam Lit. p. 18.

quamquam alia neque ea spernenda via et ratione efficiendum suscepisse videntur Fridericus Kritz in prolegomenis ed. Lips. (1856 p. 1—16) et H. Rud. Dietsch primum in oratione, quam habuit apud philologos, qui anno 1856 Stuttgardiam convenerant, quae in eiusdem conventus commentariis typis expressa (Stuttgardiae 1857 p. 27 sqq.) mihi praesto fuit, deinde in praefatione editionis Salusti de coniuratione Catilinae libri Lipsiae in aedibus Teubneri a. Chr. 1864 adornatae. Qui viri de Salusti scriptis meritissimi ex ipsis potissimum scriptis argumenta hauserunt, quibus crimina a Salustio removerent. Negant enim fieri potuisse, ut Salustius, si male vixisset, bene scriberet, praesertim cum ex scriptis colligi non possit, eum vitae prioris poenituisse. Iis, qui Salustium purgare voluerunt, adnumerandus est etiam Carolus Peter, qui in Hist. Rom. vol. II, p. 523 seqq. in dubium vocat fidem auctorum et crimina optimatium odio tribuit.

Sed sunt etiam, qui Loebellium saltem magna ex parte secuti, cum aliorum tum maxime Varronis auctoritatem tuentur, neque crimina a Salustio removent: quorum primus est Fr. Dor. Gerlach, qui, cum primum edidit Salusti opera Basileae (1823—1831), in commentariorum initio et fine [1]) de vita et scriptis C. Salusti disseruit, deinde, cum alteram editionem Basileensem (a. 1852) adornavit, quas ibi quasi in molem indigestam contulerat res luculenter disposuit vitamque Salusti absolutissimam exaravit. Eum, ut in scribendo nomine Salusti, ita etiam in vita enarranda secutus esse mihi videtur Augustus de Goeriz in praefatione versionis Stuttgardiae 1828 typis expressae.

Tempore non eruditione Gerlachio posterior est Guilelmus Sigism. Teuffel, qui primum in rerum antiquarum ἐγκυκλίῳ παιδείᾳ, quam cum Augusto Paulio edidit [2]), deinde dissertatione Doctorum Tubingensium catalogo (a. 1868) adiecta, denique in Litt. Rom. historia, quam iterum edidit Lipsiae 1872 [3]), ita de Salusti vita et scriptis exposuit, ut pedetemptim ad excusandum, quam ad incriminandum Salustium proclivior fieri videretur.

Idem fere in Io. Chr. F. Bähri iudicio de Salustio facile videbit, qui quae in Litt. Rom. historia iterum edita 1832 protulit cum iis, quae in eodem libro quartum edito 1869 de Salustio scripsit, accurate composuerit. Lübker autem in eo sibi constare videtur, ut Salusti mores succincte et graviter reprehendat [4]); idem faciunt quamquam moderatius et remissius F. Car. Kraft et Cornelius Müller. [5]) Quorum sententiae quoniam suo loco proferendae mihi erunt, hoc loco non adfero. Reliquum est, ut unum Rudolfum Jacobs memorem, qui nuper (1874 et 1878) in praefatione editionis suae optime de Salusti vita et scriptis tractavit.

---

[1]) vol. II, p. 1—32, 199—210. 337—347, vol. III. 307—332.

[2]) Real-Encyclop. des class. Alterth. VI. 1 §§ 696—702.

[3]) §§ 203 und 204, pp. 377—386.

[4]) vid. Lex. eius s. v. Sallustii.

[5]) Real-Lexicon 1846 unter Sallustius.

Cap. I. De nominibus C. Salusti Crispi.

In iis, quae de vita C. Salusti Crispi aut ex ipsius Salusti scriptis aut aliorum veterum scriptorum confici possunt, ita non consentiunt viri docti, ut paene nihil sit, quod in dubium non vocaverint, in controversiam non attulerint, de quo, ut dici solet, non adhuc sub iudice lis sit. Singula igitur singulis capitibus ita tractabo, ut quae in quaque re certa statui, quae dubia relinqui, quae falsa reici debeant, ex ipsa commentatione cognosci possit.

Atque, ut a nominibus scriptoris nostri incipiam, quaeritur primum, quo ordine poni debeant. In optimis enim codicibus tam scriptis, quam impressis hunc ordinem receptum esse, ut medium poneretur cognomen, Cortius ante commentarios monuit eosque ipse secutus librum inscripsit Caii Crispi Sallustii quae exstant. Accedit auctoris belli Afr. (c. 97), Horati (C. 2, 2, 3), Acronis (ad Hor. S. 1, 2, 41) aliorumque auctoritas, qui cognomen ante gentilicium posuerunt. Sed cum mos fuerit Romanorum, ut ex tribus nominibus praeponerent praenomen, postponerent cognomen, medium relinquerent nomen gentilicium [1]), quem morem secuti sunt auctor b. Afr. (c. 8 et 34) et Asconius Pedianus, [2]) hic iam ordo usu receptus est, ut C. Salustius Crispus scribatur. Librarii enim in scribendis nominibus posteriorum morem, quo saepe aut ordo inversus aut praenomine [3]) aut cognomine [4]) aut utroque [5]) omisso solum gentilicium scriptum est, secuti esse videntur [6]). Nomen Crispi enim cognominis vim habere ex eo intellegitur, quod Servius adnotavit ad Verg. Aen. II, 469: „Pyrrhus“ a colore comae dictus, qui latine byrrus (al. burrus) dicitur. Ita et Salustius „Crispus.“ Ergo a crispa coma dictus est Crispus, quae vulgo fuit cognominum origo. Errat enim Gerlach, cum signis aduncis omissis colligit formam „burrus“ vel „byrrus“ esse Salusti. Haec de ordine nominum, in quo iam omnes consentiant, monuisse sufficiat.

Sed in scribendo nomine gentilicio qui Salusti scripta ediderunt in duas partes discedunt. Cum enim qui nuper ediderunt, ut priores omittam, omnes praeter Gerlachium l littera geminata scribant nomen Sallusti, Gerlach ipse in omnibus quas inspexi editionibus non geminata littera l scripsit „Salustius“ optimorum codicum, ut ipse dicit [7]), auctoritatem secutus. Atque in Salusti codicibus quomodo scriptum sit nomen Salusti, cum ne Dietsch quidem in apparatu critico referat, ego inquirere non potui, neque quid aliorum scriptorum ut Prisciani et Servii, quos Gerlach in suam sententiam adfert, codices exhibeant, nisi ex editionibus conicere non potui. Quae tamen ita non con-

[1]) Lübker s. v. Nomen II. p. 688.

[2]) in Milonianam p. 45, 14 Kiessling-Schoell.

[3]) Tacitus, annales 1, 6. 2, 40. 3, 30.

[4]) Tac. ann. 3, 30. Suet. gram. 10. Ascon. Milon. p. 33, 1. 43, 19 KS.

[5]) Suet. gram. 10. Asc. Mil. p. 33, 6. 39, 16 KS. passim apud Quintilianum, Gellium, Servium, alios.

[6]) Müller p. 16 et 17.

[7]) adnot. criticae initio p. 443.

sentiunt, ut certum quidquam inde confici non possit. Sed cum nemo, quod equidem sciam, in optimis codicibus Salustium una l littera esse scriptum negaverit, id Gerlachio facile concedo neque hac quidem in re auctoritati codicum plurimum esse tribuendum negaverim. Quod enim superiore paragrapho ad minuendam codicum auctoritatem adtuli librarios posteriorem usum scribendi secutos esse, id eis hac in re officere non potest, cum serioribus temporibus nomen Salusti geminata l scriptum esse confici possit ex Martiano Capella (59, 28 ed. Eysenh.). Ergo ex codicum auctoritate Gerlachi sententiae haud exiguam fidem addi negari non potest.

Sed officiunt inscriptiones, quarum plurimas l geminatam habere ipse Gerlach non negat. Certe in inscriptionibus Regn. Neap., quas collegit et edidit Th. Mommsen, cum duodecies scriptum sit Sallustii, quater Sallustiae, semel Salustius, semel Salystia, nunquam Salustia scriptum exhibetur [1]). Sed nummi apud Ekhel [2]) codicum scripturam l non geminata confirmant [3]). Accedit nummus, qui subscribitur Salustius auctor [4]). Utramque igitur scripturam usitatam fuisse, sed eam, qua geminabatur l littera iis quidem temporibus, quibus plurimae inscribebantur, usitatiorem fuisse ex inscriptionibus confici potest.

Quod autem ad suam sententiam firmandam scriptores Graecos adfert Gerlach, idem fere, quod de codicibus Salustianis, mihi dicendum est, non enim quemquam eorum praeter Suidam, Plutarchum, Appianum, Dionem Cassium, qui quidem nunquam λ litteram geminant, adire potui. Neque Benseler in Papii Lexico nominum propriorum sub voce *Σαλούστιος* nisi ex inscriptionibus non ita vetustis ullam scripturam adfert, quae λ litteram geminet. Nam etiam quam Magni fragmentum in Ioannis Malalae chorographia p. 328 habet scripturam sub una λ adfert (contra Gerl.[2] l. l.). Ergo Graeci quoque scriptores in Gerlachi sententiam facere videntur, quamquam, ne nimium tribuamus eorum auctoritati, non est neglegendum, eos rarius quam Romanos litteras, quas liquidas vocant, geminasse, ut Suidas s. v. *Ζηνόβιος* scripsit: *τῶν καλουμένων Σαλουστίου Βελῶν* i. e. bellorum (Catilinarii et Iugurthini).

Neque quod Horatius (C. 2, 2, 3. S. 1, 2, 48.) primam syllabam in Salustius produxit, sequi eam l geminata scribendam esse Gerlach l. l. bene cum ex aliis tum ex Pierio (ad Verg. Aen. 1, 34) adnotavit. Is enim ad vocem relliquias adnotavit: „Sunt qui ex poëtarum veterum exemplis reliquias unico l recte scribi contendant, ut in bona codicum antiquorum parte notatum invenitur. Aiunt enim re particulam pro communi habitam a veteribus . ., quam tamen Valerius Probus semper brevem dicit, ubicunque loquelaris sit: ideoque iuniores ll geminari censuere. Quam quidem quaestionem ita Comminianus absolvit, ut in nomine relliquias barbarismum esse dicat adiectione

---

1) cf. Teuff. Sall. 1, 1. p. 1.
2) tom. V. pag. 299, VIII. p. 292.
3) Gerl.[2] p. 443.
4) Bullet. Archaeol. Sardo II, p. 22 seqq., Bähr. II[4] p. 113 adn.

litterae, perinde ac Italiam fato temporis adiectione. Quare in altero consonantem geminare necesse est, alterum vi quodam modo sua crassescit, nulla parenthesi." Vnde id colligi potest, vocalem brevem ante l litteram non geminatam a veteribus poëtis nonnunquam productam esse eiusque rei aliam fuisse causam, quam producendae vocalis i in Italiam; t enim consonans muta, cum linguam ad dentes apprimendo appressamque subito retrahendo perficiatur et quasi praecidatur, vocalem (i) ante se brevem nisi geminetur producere non potest, quare ne barbarismus fiat temporis adiectione consonantem geminare necesse esse dicit Comminianus. L autem semivocalis, quam alii liquidam vocant, cum nulla linguae appressione aut retractione praecidatur, vi quodam modo sua crassescens vocalem brevem ante se producere potest, ut etiam in Homeri carminibus ante λ liquidam non geminatam semel et septuagies vocalis brevis producitur [1]) et in latino sermone i consonans, ad quam proxime accedit l litterae sonus, vocalem ante se producit. Ne igitur non necessaria litterae adiectione barbarismus fiat, non geminanda est l littera, ut vocalem ante se producat. Et eam causam fuisse puto, cur semivocales diu non geminatae sint, cuius rei testis est Quintilianus. [2]) Cum enim post syllabas porrectas et aliarum semivocalium et imprimis l litterae sonus ad vocalis sonum propius quam ad litteram mutam accederet, diu vocales quam semivocales geminare maluerunt. Sed Quintiliani temporibus iam usitatissimi moris fuisse geminare semivocales ex eius verbis colligitur.

His quoniam a re metrica ad grammaticam translati sumus, grammaticorum sententias proferamus. Atque haec sunt apud Priscianum I, 38 H. (Corss. I p. 219): L triplicem, ut Plinio videtur, sonum habet: exilem, quando geminatur secundo loco posita, ut „ille" „Metellus", plenum, quando finit nomina vel syllabas et quando aliquam habet ante se eadem syllaba consonantem, ut „sol, silva, flavus, clarus", medium in aliis, ut „lectum, lectus." Quocum convenit Martiano Capellae in iis, quae scripsit (p. 59, 26—33 Eysenh.): L uero littera tripliciter sonat. Nam exilem sonum reddit, cum geminatur, ut „sollers, Sallustius", medium autem, cum terminat nomina, ut „sol, sal," item leniter sonat, cum uocales anteuenit, ut „lapis, lepus, liber, locus, lucerna," plenum uero sonum habet, cum ei praeferuntur litterae P, G, C, F, ut in „Plauto, glebis, Claudio, flauo." Ex his igitur grammaticorum testimoniis conficitur Martiani quidem temporibus (saeculo V. p. Chr.) Sallustium geminata l scribi solitum esse, sed l litteram secundo loco positam exilem sonum reddidisse. Quod in causa fuisse putari potest, cur a multis ne tum quidem scriberetur.

Idem in re fuisse puto, cur neque in aliis iisque nostri similibus nominibus propriis scriptura sibi constaret. Varro [3]) enim „Salentini" scripsisse

---

[1]) vide Hartel Homerische Studien. Sitzungsb. d. kais. Ak. d. Wiss. Wien Bd. 68 p. 390.

[2]) Inst. or. 1. 7, 14: Semivocales (f, , m, n, r, s) geminare diu non fuit usitatissimi moris, atque e contrario usque ad Accium et ultra porrectas syllabas geminis ut dixi vocalibus scripserunt.

[3]) R. r. 2, 3, 11

videtur, Cicero[1]) „in Sallentinis“, Plinius[2]) „Salentini“, „Salentino in agro[3])“, sed Sallentina oliva[4]), Vergilius[5]) Sallentinos. Graecos plerosque scripsisse Σαλεντῖνοι, paucos Σαλλεντῖνοι, cognosci potest ex Benseleri-Papii Lexico sub voce. Eundem fere in modum variat scriptura verbi Salluvii, cum enim Graeci Σάλυες, Livius (31, 10) Salyi, Plinius (N. h. 3, 4, 5) Sallyi scriberet, in eodem Livio edendo Weissenborn scripsit Saluvii (3, 34, 7 et 21, 26, 3), Hertz ibidem Salluvii, Ianus in ed. Plinio Salluvii (n. h. 3, 36; 3, 47; 3, 124), Halm in edendo Floro (3, 2, 3; 2, 3, 5) Saluvii. Idem vir doctissimus in edendis Taciti scriptis „Messalla“ quidem, ut acueret syllabam acuto sono praeditam, geminata l littera, sed „Messalinus“ et „Messalina“, ut submitteret sono carentem, una l littera bene scripsisse mihi videtur. Quam quidem rationem si in Salusti quoque nomine scribendo sequi licet, rectius una quam geminata l littera scribendum nobis erit.

Sed ne quid minus probatum statuam, hoc unum ex codicibus, inscriptionibus, nummis, Graecorum usu scribendi, poetarum grammaticorumque praeceptis conficiam, ut neque scripturam neque sonum l litterae apud antiquos sibi constitisse contendam, alios enim, qui neglegentius dicerent, pinguiorem reliquisse l litterae sonum[6]) neque eam scribendo geminasse, alios, cum antiquitatem aut rusticitatem sibi sapere videretur sonus pinguior, exiliorem efformasse eius litterae sonum eamque scribendo geminasse.

Inde oritur quaestio capitalis, utros ipse in suo nomine scribendo secutus sit Salustius? Et hac quidem in re Gerlachio, Salustium ipsum suum nomen non geminata sed una l littera scripsisse, concedendum esse puto. Licet enim non sit negandum, et alias semivocales et l litteram Salusti temporibus vulgo iam geminatas esse, Salustium tamen ipsum, ut cum in aliis tum hac in ré antiquum scribendi usum servasse putem, et codicum auctoritate et aliorum verborum, in quibus inest l littera, scribendorum ratione Salustiana adducor. Atque codicum auctoritatem hac in re infringi non posse supra dixi: Cum enim non esset, cur unam pro geminata l littera scriberent librarii, unam l scriptam ad Salustium eiusque primos librarios referendam, geminatam seriorum temporum usui tribuendam esse consentaneum est. In scribenda autem l littera Salustium antiquitatem non aspernatum esse immo vero affectasse ex eo colligimus, quod milia[7]), cum in Monumento Anc. semper geminata littera sit scriptum[8]), nunquam geminata l littera scripsisse videtur. Non enim aliam scripturam ex codicibus adfert Dietsch in apparatu critico.

At scripsit Salustius: sollertia (Iug. 7, 7), sollertissumus Iug. (96, 1),

---

[1]) pro Rosc. Am. 46, 132.

[2]) N. h. 3, 99.

[3]) 2, 240. 3. 99. cf. 3, 103. 145.

[4]) sic M. 15, 20 vide ind. Iani s. v.

[5]) Aen., 3, 400 vid. Ribbek.

[6]) ut nostra dialecto „Soja“ pro „Söller“, solario dicunt rustici.

[7]) Cat. 56, 2. Iug. 48, 3. 50 3 Hist. fr. 1, 61, 67. 2, 85. 4, 52. 61, 6. 19, 22. Conf. I. 75, 2. 91, 3. 106, 5.

[8]) Corss. Ausspr. I 226.

sollemnibus (Cat. 22, 2). Quod etsi in dubium vocari potest, cum ne in ea quidem re codicibus iisque optimis conveniat, [1]) tamen non nego, sed his in vocibus aliam atque in nomine Salusti esse causam geminationis puto. Haec enim vocabula aut ipsa ex Osca dialecto, in qua geminare litteras semper fuit usitatissimi moris, assumpta, aut cum sollo, quod Osce totum et solidum significat (Festus p. 293), ita composita esse videntur, ut sollo pro soldo (Hor. S. 1, 2, 113. 2, 5, 65) sit scriptum [2]). Salusti autem nomen unde originetur Teuffel, ut originatione quoque confirmari geminationem dicat, [3]) equidem non video. Quod enim prius [4]) Gerlachium (ed. mai. 1823 sq. II 1 p. 2—5) secutus cum voce salutis Salustium composuit, non eo quidem infringi potuit, quod salus priorem syllabam correptam habet, Salustius productam. Nam etiam in salute primam syllabam produci potuisse non geminata littera l Teuffel (Sall. I 1) bene conficit ex illo Saturnio versu Varronis: terrá pestém tenéto sálus híc manéto. Sed neque inde confici potest, geminari debere l litteram in voce Salusti. V enim littera, qua in utraque voce produci putat syllabam, neque eam producit neque cum l ita coalescit, ut geminatam efficiat, [5]) sed cum posteriore vocali a lat. o in unam u eamque longam confunditur (salva-ti-= salu-ti). Produci autem primam syllabam pingui sono litterae l semivocalis supra exposuimus. Si ergo, id quod veri simillimum est, a salute originatur nomen, sine dubio scribi debet (Salu-ti-tius =) Salustius. In alias originationes nominis, cum parum ad rem conferant non est, cur inquiram. Ut igitur ad id, unde digressa est commentatio, revertar, Salustium ipsum suum nomen non geminata l littera scripsisse existimo.

Sed inde nova oritur quaestio, nobisne Salustium sequi liceat necne? Cum enim in aliis vocibus scribendis eam fere rationem servari usu receptum sit, quam Quintiliani temporibus servatam esse exploratum est, et Quintiliani temporibus cum in aliis vocibus tum in nomine Salusti scribendo l litteram geminatam esse inter omnes fere conveniat, neque hac in re ab eo more scribendi discedendum atque Salustius geminata littera scribendum esse videtur. Atque ea ipsa, puto, causa adductus Teuffel [6]) negat una l scribendum esse Salustius, etsi concedendum Salustium ipsum litteram non geminasse. Sed cum in aliis vocibus, in quibus differt ab aliis, Salusti scribendi rationem sequantur ii, qui eius scripta ediderunt, cum scribant maxume, aestumo, vortere, alia, quid est, cur in ipso eius nomine scribendo non sequamur auctorem? Immo in nomine scribendo minime spernendam esse scriptorum auctoritatem et res ipsa et qui apud nos viget mos admonet. Suum enim quisque nomen quomodo ipse scribat, ut ita ab aliis scribatur, quasi postulare potest. Licet enim, cum sit gentilicium nomen Salusti, plures fuerint Salustii, qui scribendo

---

[1]) Solertis exhibent $P^1BGEMM^1M^2FT$ alii, solertissimus Pg^1, solemnibus $p^1p^3p^5g^4g^6r$ s.
[2]) Momms. unterital. Dial. S. 218 ff.
[3]) Geschichte d. Röm. Lit.[2] 203, 1.
[4]) Pauly, Real-Encyclop. VI. 1. 696. Sall. 1, 1, 1.
[5]) Vaniček Wörterb. 1029[11].
[6]) Real-Enc. VI 1, 696.

suo nomine litteram geminasse putandi sint, quod ex inscriptionibus in gentilicio Salustiorum tumulo Eporediae repertis intelligitur [1]), tamen cum in aliis geminemus, si nostrum quidem scriptorem significabimus, iure non geminata littera scribemus Salustius.

Iam ut sit tandem huius disceptationis modus quantum equidem probationes excussi, haec concludo, et rectius „Salustius" quam „Sallustius" cum Gerlachio scribi et tria nomina aut „C. Salustius Crispus" aut „Gaius Salustius Crispus" et litteris et typis exprimenda esse. Nam neque „G. Salusti", quod Dietsch anno 1859 inscripsit Historiarum fragmenta, a. 1864 de Cat. coni. librum, Gerlach 1852 singulos Salusti libros, neque „Caii", quod Burettius Parisiis a. 1836 aliique ante eum inscripserunt, scribendum esse, cum si notamus antiquam g litterae figuram C servemus, sin perscribimus, G. literam quam sonat, signo quoque exprimamus, ita est exploratum, ut vix sit, quod moneam.

Cap. II. Quo tempore, loco, genere natus sit Salustius?

His de nomine C. Salusti expositis, ut ad vitam enarrandam veniam, quaeritur quo tempore, loco, genere natus sit Salustius? De iis enim rebus cum, qui ante Gerlachium vitam Salusti scripserunt, aut reticerent aut ita dissentirent, ut alii anno u. DCLXVIII (a. Ch. LXXXVI), alii proximo priore aut posteriore Salustium natum esse statuerent inter eos qui post Gerlachium scripserunt, ita fere convenit, ut Salustium a. u. DCLXVIII (a. Ch. LXXXVI) Amiterni in Sabinis plebeia familia natum esse dicant. Et primum quidem ut annum firmet, Gerlach [2]) testem producit Eusebium, quem in Chronico ad annum Abrami MDCCCCXXXI haec adnotantem tacit: „*Σαλούστιος ἐγεννήθη καλάνδαις ὀκτωβρίαις*. Sed cum periisse Chronicon Eusebi et Ios. Scaligerum restituendo in id multa aliunde intulisse compertum sit[3]), num haec verba sint Eusebi, equidem valde dubitaverim. Praesertim cum Hieronymus in versionis praefatione testetur, se maxime circa historiam Romanam, quam Eusebius oscitanter tractasset, multa de suo addidisse [4]).

Plus ad rem facere videtur Hieronymi in Chronico Eusebi testimonium, quod profert Teuffel, sed cum in ipso anno non concordent codices, neque inde ductum argumentum nihil dubii relinquit. In Freheriano enim codice ad annum Abrami 1931 (= Ol. 173, 3. = a. u. 668 = a. Ch. 86.) in reliquis ad a. 1930 (Ol. 173,2 = 667/87), qui annus in editionibus vulgo exprimitur, notatur: „Sallustius Crispus scriptor historicus in Sabinis Amiterni nascitur." Quod ex Suetoni libro de viris illustribus haustum esse Teuffel (Sall. I, 2, p. 2.) existimat. Inde igitur, cum, quanta sit codicis Freheriani auctoritas, equidem nesciam, certum anni urbis 668 aut 667 argumentum eruere non possum.

---

[1]) Bähr. L. R. H. II. § 234 adn. 2 p. 113.

[2]) in ed. priore 1823 seq. II. I p. [3]), in altera 1852 p. XIII.

[3]) vid. Fessler Patrol. I p. 344.

[4]) P. Dominici Schram Analysis operum SS. Patrum. Aug. Vind. Rieger. MDCCLXXXV tom. VIII p. 399. Confer ibid. p. 435, ubi ad „annum mundi" 5113 (= ann. Abrami 1928) adnotatum est:

Neque tertium argumentum, quod profertur e Chronico paschali [1]), omni vitio caret. Ibi enim [2]) haec sunt, quae Teuffel ex Phlegontis *Ὀλυμπιονικῶν καὶ χρονικῶν ἀναγραφῇ* sumpta esse opinatur: *Ὀλυμπιὰς ροβ΄β΄* [3]) *ὑπάτων Μαρίου τὸ ζ΄ καὶ Κίννα τὸ β΄ Σαλούστιος ἐγεννήθη καλάνδαις ὀκτωβρίαις.* Olympiadas autem in hoc Chronico quater omisis binis consulibus turbatas esse Teuffel monet Fischeri [4]) auctoritatem secutus. Quare pro *ροβ΄β΄* scribendum est *ρογ΄β΄* (Ol. 173,2). Qui olympiadum numerus licet ex vulgari annorum computatione annum a. Chr. n. LXXXVII significare videatur [5]), licet in fastis (consulum ?) ad annum u. 668 (a. Chr. 86) cum Cinna L. Valerius Flaccus, qui Mario idibus Ianuariis mortuo suffectus est, consul memoretur [6]) et Kal. Octobr. quidem revera consul fuerit, licet Marius iam ante Kal. Octob. anni 667/87 a Cinna reduce in consulatum septimum cooptatus esse videatur, ut Kalendis Octob. Mario VII et Cinna II conss. annus 667/87 bene significari possit, tamen cum Mario VII et Cinna II conss. vulgo significetur annus 668/86 et vulgarem temporum computationem secutum esse Chronici pasch. auctorem ego putaverim, eo anno natum esse Salustium ex eo Chronico quamquam non sine aliqua dubitatione confecerim.

Id ut coniciam plurimum facit quartum testimonium, quod Gerlach adfert ex Anonymi *Ὀλυμπιάδων ἀναγραφῇ. Σύλλας τὰς Ἀθήνας ἐξεπολιόρκησε, Κρίσπος Σαλούστιος ἐγεννήθη.* Sulla enim Athenas, cum prope totum annum 87 a. Ch. oppugnasset, demum Kalendis Martiis anni proximi (86) expugnavit, unde facile intellegitur, Salustium post Athenas expugnatas natum esse Kal. Oct. a. u. 668/86 a. Ch. hoc testimonio confirmari. Eius auctoritatem iam secutus esse videtur Petrus Crinitus; hoc enim est eius vitae initium: „C. Crispus Salustius Amiterni natus traditur in agro Sabino: quo anno Atheniensium urbs a L. Sylla deuicta atque uastata est, ut Romani annales referunt; ex nobili Sallustiorum familia ortus est, quae diu in secundo ordine dignitatem seruauit.“ [7]) Nos igitur cum plerisque Salustium Kal. Octobribus a. u. 668/86 a. Ch. natum esse existimamus.

Amiternum autem, ubi natum esse Salustium omnibus praeter unum Laurentium Vallam, qui eum „Romae patricia gente natum“ esse dicit, [8]) exploratum est, municipium fuit prope fontes Aterni fluvi vetus neque exiguum aut infirmum.

„Ptolomaeus X. Aegypti rex annis 8, sub quo Cicero Romae floret et Salustius nascitur“, ex quo quidem, cum anno mundi 5199 Christum natum esse statuat idem scriptor, annum LXXXVI ante Chr. n. facile computaveris. Sed cum in analysim quoque multa aliunde illata sint, ne hoc quidem loco Eusebi testimonium satis confirmatur.

[1]) I. p. 347, 11 Teuff. Sall. I p. 2. „Chronicon Alex.“ vocat Teuff. in Pauly R. A. Enc. VI. I. p. 696, „Fastos Siculos“ Jacobs in praef. p. I. In ea, quae mihi praesto fuit, editione Caroli Du Fresne et Du Cange (in Scriptorr. Byzantt. num. 21, Venetiis 1729) inscribitur *Πασχάλιον* seu Chronicum paschale.

[2]) Du Fresne p. 146.

[3]) Du Fresne *ροβ΄ι* errorem typographi esse puto.

[4]) Dr. E. W. Römische Zeittafeln Altona 1846 p. 182 ff.

[5]) vid. Lübk. p. 1112, Parallel-Tab. zur Griech. Röm. Chronologie. Teubner. 1874 p. 29.

[6]) Momms. R. H. II. p. 321.

[7]) ed. Basil. 1590 elog. p. 1.

[8]) comment. in Catil. initio.

Cum enim a. u. 461/293 a. Chr. ad Samnites defecisset et a Sp. Carvilio Maximo cons. vi captum esset, caesa sunt ibi milia hominum duo ferme atque octingenti, capta quattuor milia ducenti septuaginta. Praeda opulenta est parta[1]). In ruinis, quae etiam nunc haud exiguae exstant in sinistra amnis, qui nunc Pescara dicitur, ripa prope oppidulum, cui nunc nomen S. Vittorino, Amatius se nomen Salusti legisse pro certo affirmavit Gerlachio [2]).

Reliquum est, ut de genere Salusti quaeramus. In eo enim, qui primi Salusti vitam scripserunt, cum antiquorum testimonia desint neque quidquam nisi ex vita et scriptis Salusti coniectando statui possit, adeo in diversas partes discesserunt, ut alii patricia gente, alii nobili familia eum ortum putarent, alii senatorii, alii equestris ordinis eum fuisse dicerent, alii genus reticerent, alii subobscure significarent; recentiores ita consentiunt, ut Salustium plebeia quidem familia neque nobili, sed honestis neque iis pauperibus parentibus natum esse dicant. Atque haec fere argumenta proferunt, quibus quae obici possint refutent suamque sententiam confirment.

Primum non patricia eum gente ortum fuisse ex eo colligunt, quod a. urbis 702/52 sine transitione ad plebem tribunus plebis factus est (Gerl.[2] p. XIII, Dietsch[3] praef. p. 2). Patres enim lege sacrata anni 160/494 tribunatum petere vetabantur. Si quis igitur vir patricius tribunatum appetebat, antequam peteret, ad plebem ei transeundum fuit, quod multis impediebatur ceremoniis [3]). Certe P. Clodius ut ex Caesaris sententia tribunus plebis fieri posset, transitionem ad plebem totum fere annum 694/60 Caesare quidem pontifice maximo favente sed frustra molitus [4]) demum mense Martio 695/59 ex lege curiata de adrogatione effecit [5]). Salustium autem, nescio cuius gratia, Caesaris forsitan dixeris, tanta in se suscepisse molimina cum vix credi possit, tum vero nullo pacto fieri potuit, quin si effecta esset transitio memoriae proderetur. Certe Asconius in argumento aut comentariis orationis Milonianae non potuisset, quin transitionem Salusti, quae plurimum conferret ad „inimicissimas illas contiones" illustrandas, saltem verbo significaret. Ergo neque L. Vallae neque Anonymi sententiam sequemur, sed plebeia et gente et familia Salustium ortum esse dicemus. Neque probandam esse Petri Criniti sententiam, qui vitae initio ex nobili Salustiorum familia ortum esse Salustium dicit, ex eo conficitur, quod neque maiores eius magistratus gessisse usquam memorantur et ipse nobilitatis factioni infensissimus fuisse in scriptis apparet. Neque repugnat quod Dio Cassius 40, 63, 4 illum in numerum *τῶν πάνυ γενναίων* retulisse Videtur. Primum enim id non expressis verbis dicit Dio, cuius haec sunt verba: *ἐκείνῳ (Ἀππίῳ*

---

[1]) Liv. X, 39, 2. si quidem eo loco boc Amiternum significatur. Weissenb. ad loc lect. Ceterum conf. Liv. 21, 62. 28, 45. Plinius n. h. 3, 12 (17) 107. 14, 3 (7) 38. Liv. perioch. 11.

[2]) ed. prior. 1823 seqq. II. p. 5[8] Cf. Lübker s. v. Amiternum. Conf. Strab. E, 3, 1 p. 228: *πόλεις δ' ἔχουσιν (οἱ Σαβῖνοι) ὀλίγας καὶ τεταπεινωμένας διὰ τοὺς συνεχεῖς πολέμους, Ἀμίτερνον καὶ Ῥεᾶτε.*

[3]) Lange Röm. Alterth. I, 122 f. Idem de transitione ad plebem. Lipsiae. 1864.

[4]) Lange III[4] (1871) p. 268.

[5]) Lange ib. p. 277.

Κλαυδίῳ) δὲ οὐκ ἀντέπραξε (ὁ Πίσων) πάντας μὲν τοὺς ἐκ τῶν ἀπελευθέρων, συχνοὺς δὲ καὶ τῶν πάνυ γενναίων ἄλλους τε καὶ τὸν Κρίσπον τὸν Σαλούστιον τὸν τὴν ἱστορίαν γράψαντα ἀπελάσαντι ἐκ τοῦ συνεδρίου. Nam et graeco pronomine *ἄλλος* et latino **alius**, saepe significatur is, qui non est eiusdem generis, atque ii, a quibus secernitur. [1]) Sed etiam si quis Salustium a Dione *τοῖς γενναίος* adnumeratum esse putaverit, eo vocabulo non patricios immo ne nobiles quidem significari cum ex vi verbi tum ex verborum contextu intelleget. Atque vis verbi apparet ex Arist. rhet. 2, 15; h. a. 1. 1: *εὐγενὴς τὸ ἐξ ἀγαθοῦ γένους, γενναῖον τὸ μὴ ἐξιστάμενον ἐκ τῆς αὐτοῦ φσεως,* contextus autem verborum is est, ut *πᾶσι τοῖς ἐκ ἀπελευθέρων* opponantur quasi *συχνοὶ τῶν πάνυ γενναίων* et haec fere esse videatur Dionis sententia: Appium Claudium non solum omnes libertinos sed etiam multos omnino ingenuos cum alios tum Salustium Crispum senatu movisse. Hoc igitur Dionis testimonio neque patriciis neque nobilibus, sed ingenuis viris iisque claris atque illustribus, qui idem significantur verbo *γενναῖος* (Gerl. p. XIII), annumeratur Salustius.

Quod autem dicit Io. Chrys. Soldus [2]) „Salustius civis Romanus Senatorii ordinis fuit,“ id non ad genus patricium neque ad dignitatem maiorum sed ad ipsius Salusti dignitatem ex magistratibus acceptam referendum esse puto.

Neque gravius est Petri Criniti testimonium, qui [3]) „Salustiorum familiam diu in secundo ordine dignitatem servasse“ dicit. Secundo enim ordine non alium nisi equestrem ordinem significari puto. Atque equestris ordinis fuisse nostrum Salustium forsitan ex eo quis coniecerit, quod „sororis nepotem equestri ortum loco“ dicit Tacitus (an. 3, 30). Sed si reputaveris, quam parce verbis usus sit Tacitus, ex eo facile intelleges, illius maiores neque eundem neque altiorem generis aut dignitatis locum obtinuisse.

Quod denique Dr. G. Mollerus [4]) „Salustiorum gentem Romae quondam fuisse amplissimam“ dicit, si genere aut dignitate amplissimam dicit, iam negavimus iis, quae modo exposuimus, sin pecunia aut familia, infra exponemus. Amplas enim divitias habuisse nostri Salusti familiam cum ex eo, quod sororis nepos equestri loco ortus est, tum maxime inde conficitur, quod ita filium educandum atque litteris instruendum curavit pater, ut non solum reipublicae muneribus honeste fungeretur, sed etiam privatus eruditionem et doctrinam non mediocrem scriptis ostenderet. Familias autem gentis Sallustiorum eo quidem tempore, quo natus est Salustius, fuisse multas, non ita exploratum esse mihi videtur. Duo enim in Ciceronis epistulis [5]) et alibi memorantur Sallustii Gneius et Publius, nostro Salustio aequales, qui ut eiusdem familiae ambo [6]) ita alienae

---

[1]) Cf. Plato Gorgias 473D *Εὐδαιμονιζόμενος ὑπὸ τῶν πολιτῶν καὶ τῶν ἄλλων ξένων.* Krüg. 50, 4, 11. Stallb. p. 143.

[2]) vitae initio ed. Ascens. fol. 4, 2.

[3]) ed. Bas. 1590 elog. p. 1.

[4]) dissert. Altdorf 1684 p. 3.

[5]) vid. Klotz indic. p. 345.

[6]) vid. Cic. Att. 11, 11, 2.

a nostri Salusti familia fuisse videntur. Itaque amplius duas gentis Salustiae familias statuamus non est necesse. Nostri autem Salusti familiam non fuisse numerosam puto, cum praeter unam sororem neque frater neque soror memoretur, neque cognomen Crispi cuiquam inditum esse videatur. Neque mater nostri Salusti quae fuerit memoriae proditum est. Patri autem praenomen fuisse Gaio, quod Laetus statuit vitae initio, Dahlius tenuit [1]), cognomen Crispo, quod opinatur Ascensius in explanatione vitae Pomp. Laeti, nostrumque ei fuisse primogenitum, quod Laetus et Ascensius putarunt, cum unde acceperint aut coniecerint, iam inquiri non possit, equidem dubium reliquerim. Id ergo ex hac inquisitione videtur posse concludi: natum esse C. Salustium Crispum Amiterni in Sabinis Kal. Octobr. a. u. 668/86 a. Chr. gente plebeia, familia neque nobili neque equestri honestis tamen iisque divitibus parentibus.

Quaeritur deinceps:

Cap. III. Quomodo educatus sit C. Salustius Crispus?

Licet enim de pueritia C. Salusti paene nihil memoriae proditum sit, id tamen ex more Romanorum conficitur, primum eum domi paternae a matre educatum esse [2]). Qualis autem fuerit ea educatio Salusti, cum neque aliunde compertum sit neque ex commenticia illa declamatione in Salustium confici possit, nisi ex more Romanorum et Salusti ipsius vita et scriptis conicere non possumus. Licet enim illius declamationis auctor certam quandam probabilitatem secutus esse videatur, id quod facile damus Gerlachio (p. XIV), tamen, cum neque ipse aliunde nisi ex adulescentis Salusti vita coniciat, „quam petulanti pueritia, quam impudicus et procax adoleverit" (V, 19 Cort.), et ea, quae locum lectum proxime sequuntur, crimina ex altera Salusti in Ciceronem invectiva desumpta esse videantur, hac quidem in re prorsus nullam fidem habendam esse isti conviciatori Kritz (p. 8) bene monuit. Morem autem Romanorum alium aliis fuisse temporibus et iis maxime commutatum temporibus, quibus educatus est Salustius (a. u. 668/86—684/70), M. Ter. Varro in logistorico, qui inscriptus est „Catus aut de liberis educandis" exposuit. [3]) Antea enim severior fuit educandi mos et corpora magis, quam animi exercebantur, postea mollior fuit liberorum cultus et animis excolendis plus tribuebatur, quam corporibus. Atque Salusti educationem mitiorem quidem fuisse quam Varronis [4]) sed non ita mollem aut remissam, ut a Varrone reprehendi debuerit, eius vita et scriptis satis fit manifestum. Nam si mollitiae nimium concessum, si „plurimo cibo, nimioque sompno usus hebetior factus" (Gell. l. l.) esset,

---

[1]) vid. Müller p. 17.

[2]) vid. Lübker s. v. Erziehung I[6], 17 p. 431. Conf. Tac. dial. de oratt. cap. 28: Pridem suus cuique filius ex casta parente natus non in cella emptae nutricis sed gremio ac sinu matris educabatur, cuius praecipua laus erat tueri domum et servire liberis . . . Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Caesaris, sic Atiam Augusti matrem praefuisse educationibus.

[3]) Gell. n. a. 4, 19. Momms. Rom. hist. III[4] p. 594 adn. cf. 586.

[4]) Momms. III[4], 586.

immo nisi optimis veri honestique praeceptis a primis aetatis annis institutus atque imbutus esset, fieri non potuisset, ut veri honestique sensus tamdiu vitiis quasi oppressus postea reviviseceret et in scriptis fieret manifestus. Animum autem natura firmiorem sibi fuisse quam corpus ideoque magis excultum, de se ipse dicens fingitur in ep. II. ad Caes. (10, 2, Cort.).

Atque omnibus quidem bonis artibus, quibus imbui solebant pueri, Salustium optime institutum esse ex eius scriptis satis apparet, sed quando, ubi, a quo institutus sit, cum de iis rebus nihil memoriae proditum sit, prorsus ignoratur. Errant enim Kunhardt, Seibt, Burette (in vita), qui ex Suet. gramm. 10. conficiunt „Salustium a patre traditum esse in disciplinam Attei Praetextati Atheniensis, qui rhetoricam Romae docebat et Crispum prae aliis singulari amore complectebatur.“ Is enim postea quam Appiorum in provincia comes fuerat (a. u. 701/53), coluisse familiarissime C. Salustium eumque historiam componere aggressum iuvisse expressis verbis dicitur [1]). Cum autem mos esset Romanorum, ut institutionem cum educatione a primis aetatis annis coniungerent, neque solum ea, quae in foro, campo, castris fierent, quaeque a maioribus praeclare gesta essent, in quantum percipi possent a pueris, filii edocerentur a patribus, sed etiam primis litterarum elementis instituerentur, noster quoque Salustius cum alia tum prima legendi scribendi numerandi initia a patre edoctus esse videtur.

Sed cum eo quidem tempore Amiterni quoque ut iam ante trecentos fere annos Faleriis (Liv. V 27, 1) et Tusculi (Liv. VI, 25, 9) ludi litterarum fuisse videantur neque patrem tantum in litteris profecisse putem, ut plus quam rudimenta doceret filium, eum a patre neque servo neque liberto cuiquam, qui domi suae instrueret, sed simul cum aliis pueris ludi magistri curae demandatum esse existimaverim. In his ludis litteratoris cum iam appareret summum Salusti ingenium et egregiae animi dotes, grammatico cuidam aut rhetori a patre traditum esse Salustium consentaneum est. In scriptis enim accuratam et grammaticam et rhetoricam scientiam sibi comparasse ostendit. Grammatici autem aut rhetores cum vix fuerint Amiterni, Salustius Romam, ubi grammaticorum ludi post annum 604/150, rhetorum 662/92 coepti erant institui, iam ante sextum decimum aetatis annum a patre deductus esse videtur. Neque ipsum Romae mansisse patrem, ut de M. et Qu. Ciceronum patre compertum est (Cic. de or. 2, 1), neque custodem aliquem sibi propinquum filio dedisse, sed paedagogum graecum adhibuisse, qui ad grammaticos aut rhetores eum deduceret, graeco sermone exerceret, ubique honestum et decorum moneret filium, cum ex more usitatissimo eius temporis tum ex accurata graecae linguae notitia, quae ex scriptis apparet, confici potest. Qui vero num ea qua pater diligentia disciplinaque munita custodierit Salustium, dubitari potest. Certe, si qua in pueritia peccavit Salustius neque alienus fuit ab omni mollitia, non pater, quem ne declamationis quidem auctor (V, 19 Cort.) incusat, sed paedagogus accusandus est. Ne autem eo, quod paedagogum ad-

---

[1]) Müller p. 19, Teuff. R. L. H² § 207 adn. p. 393.

hibuit eumque non omni suspicione superiorem, accusare patrem videamur, M. Caeli exemplum praesto est, qui quamquam summa patris diligentia disciplinaque munita educatus tamen posteris annis in vitia delapsus esse putatur [1]. Pia igitur et diligenti parentum cura primum Amiterni, deinde Romae educatum atque eruditum esse Salustium existimo; quibus autem usus sit magistris plane ignoratur, nisi quod ex eius vita et scriptis conici potest eos et scientia praecellentes et diligentia acres et assiduos fuisse. Itaque Salustius et grammaticas res bene edoctus et in rhetoricis exercitatus, quin etiam philosophiae, geometriae, astronomiae, musices, quae artes tum ad grammaticam et rhetoricam accesisse videntur, rudimentis imbutus anno quinto decimo fere exacto virilem togam sumpsit sub finem anni urbis 684/71. Exponemus igitur, id quod deinceps quaeritur,

Cap. IIII. Qualem adulescentiam egerit Salustius?

Sed neque hac in quaestione praesto sunt veterum testimonia, quare vix certi quidquam statueris, nisi quod ex more Romanorum et Salusti nostri vita et scriptis conieceris. Atque mos fuit Romanorum iis quidem temporibus, ut sumpta virili toga adulescentuli viris probatis traderentur et pacis et belli artibus excolendi. Certe Cicero (Lael. 1) se sumpta virili toga (663/91) ad Scaevolam deductum esse narrat et duobus annis post (665/89) in bello Marsico tiro fuit in Cn. Pompei Strabonis cons. exercitu. Idem Cicero M. Caelium (p. Cael. 4, 9) continuo ad se a patre esse deductum (687/67) refert. Num autem C. Salustius ad quemquam deductus sit, num militiae tirocinium fecerit, memoriae proditum non est, nisi quod ad primam adulescentiam referendum esse mihi videtur, quod ipse ad Caesarem scribens fingitur (ep. II. X, 2 Cort.): Postquam mihi aetas ingeniumque adolevit, haud ferme armis atque equis corpus exercui, sed animum in litteris agitavi, quod natura firmius erat id in laboribus habui. Licet enim hanc II. ep. ad Caes. genuinam esse aegre mihi probaverit Hellwig [2], tamen cum eius auctor optime nosse res Salusti videtur, quod infra uberius exponam, de eius fide et auctoritate non nimium detraxerim. Ex his igitur verbis colligi posse videtur, Salustium, cum sibi natura minus firmum esset corpus, quam ut se daret rei militari, neque in campo armis aut equis multum exercuisse corpus, neque in castris militiae tirocinium fecisse, sed animum, qui natura firmior esset, in litteris agitasse. Atque tirocinium militare facere iam Catilinae temporibus non usitatissimi moris fuisse conficitur ex iis, quae sunt in Catil. 7, 4: „Iam primum iuventus simul ac belli patiens erat, in castris per laborem usu militiam discebat magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis atque conviviis libidinem habebat.“ Quibus haud obscure priscorum morem suis opponit.

Ex eo autem, quod se in litteris agitasse dicit animum, minime potest conici eum viro cuiquam probato traditum esse. Eo enim consilio deducebantur

---

[1]) cf. Cic. p. Caelio 4, 9 seq.

[2]) De genuina Sallusti epistula. Dissert. Merseburgi 1873.

adulescentes, ut in iis artibus instituerentur, quae viris in regenda republica versantibus maxime usui esse videbantur. Quare Cicero Scaevolae traditus est, ut iure civili et potificio excoleretur, Caelius Ciceroni ut in rebus rhetoricis exerceretur. Sed Salustius neque primis statim aduleseentiae annis rei publicae capessendae consilium cepisse, neque ubi cepit uno alterove reipublicae capessendae aut administrandae adiumento fuisse contentus videtur, sed animum in litteris agitasse, ut in iis sibi gloriam pararet et, si magistratus cepisset, rem publicam cognitam haberet. Expressis enim verbis dicit (Cat. 4, 2) ambitionem malam se ab incepto studioque historiae scribendae detinuisse et se[1]) in cognoscenda republica multam magnamque curam habuisse non ita, uti magistratum modo caperet, quam multi malis artibus adepti essent, sed etiam, uti rempublicam domi militiaeque, quantumque armis, viris, opulentia posset, cognitam haberet. Nam quod ipse in Cat. 3, 1 adulescentulum se initio studio ad rem publicam latum esse et ep. II ad Caes. I, 3 sibi adulescentulo studium fuisse rempublicam capessere dicit, ut ad primos adulescentiae annos referam, neque verbo, „adulescentulus“, quo non tam aetatem quam iuvenilem quendam ardorem et vigorem significari bene adnotavit Dietsch ad locum, neque verbo „initio“ adducor, quo non adulescentiae initium, sed agendi quasi publice principium significari mihi videtur. Primis ergo adulescentiae annis Sallustium litteris se dedisse infitiari vix quisquam potest. Quae vero ea litterarum studia fuerint, cum aliunde tum ex ipsius Salusti scriptis confici potest. Nam rerum gestarum memoriae potissimum operam eum navasse cum ex eius studio cognoscendae reipublicae tum maxime ex eo intellegitur, quod ipse dicit in Cat. 4, 2 ab eo studio inceptoque se studium reipublicae detinuisse. Quae si componas cum iis, quae sunt in ep. II ad Caes. X, 3, ubi, postquam se animum in litteris agitasse dixit, haec addidit: ‚Atque ego in ea vita multa legendo atque audiendo ita comperi, omnia regna, item civitates et nationes usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt, etqs., facile intelleges eum in rebus publicis ex rerum gestarum memoria cognoscendis plurimum versatum esse. Accedit quod de se ipse dicit in Cat. 53, 2 seq.: Sed mihi multa legenti, multa audienti, quae populus Romanus domi militiaeque, mari atque terra praeclara facinora fecit, forte lubuit attendere etqs., unde facile colliges Salustium usque ad Catilinariae fere coniurationis tempora rerum gestarum studia non intermisisse, iisque intentum multa praeclara facinora populi Romani legisse multa audiisse[2]). Neque solum Romanorum sed etiam aliarum gentium res gestas se cognovisse expressis verbis addit: „Cognoveram (inquit) . . . facundia G r a e c o s, gloria belli G a l l o s ante Romanos fuisse.“ Nam ad Catilinariae coniurationis tempora non ad ea, quibus de ea scripsit Salustius, haec eius verba referenda esse et verborum contextu monemur et Dietsch[3]) bene adnotavit.

---

[1]) ep. II ad Caes. I, 3.
[2]) vid. Dietsch ad l. l.
[3]) praef. p. 24.

Sed antequam ad coniurationem Catilinae veniamus, quaerendum esse videtur, unde aliorum gentium et populi Romani res gestas cognoverit, quos libros potissimum legerit, quos doctores audierit? Atque Romanas res prae ceteris cognoscere potuit ex M. Porci Catonis Originibus et L. Corn. Sisennae et Aemili Scauri comentariis, Graecas ex Xenophontis, Thucididis, Demosthenis libris, ex quibus cum multa quidem sed quasi concocta in suos libros assumpserit, adulescentulum eos libros legisse Salustium consentaneum est. Neque solum eos, qui oratione soluta historiam scripserunt, sed etiam poetas, sive historicas, sive philosophicas res tractaverant, et oratores, qui quidem orationes in lucem ediderant, quin etiam grammaticos aliosque scriptores diligenter et accurate perlegisse Salustius mihi videtur. Color enim ille poeticus et oratorius et accurata rerum gestarum notitia vix aliunde proficisci potuerunt.

Audierit autem fortasse his primis adulescentiae annis Atteium Philologum, qui ipse apud Suetonium (gramm 10) se docuisse dicit, praecepisse autem multis et claris iuvenibus, in quibus Appio Claudio Pulchro et C. Claudio Pulchro, fratribus natu maioribus P. Clodi Pulchri, quorum comes in provincia fuit (699/55—703/51). Quod enim Appius Claudius Pulcher sodalicio Nigidiano nomen dedit [1]), νεκυομαντεῖα faciebat [2]), psychomantiis uti solebat [3]), Salustio eadem fere vitio tribuuntur ab auctore invectivae in Salustium [4]), equidem ad eiusdem Attei institutionem rettulerim, quem pro „multiplici sua variaque doctrina," propter quam Philologi appellationem assumpsisse videtur [5]), philosophiae quoque praecepta auditoribus tradidisse putaverim. Idem cum „in Graecis litteris magnum processum haberet, et in Latinis nonnullum" [6]), ex philosophorum quoque praeceptis, quae sibi probarentur, elegisse et cum suis composuisse videtur, quae fere fuit Nigidii, quem ipsum Attei discipulis annumeraverim, et multos ante annos Empedoclis philosophandi ratio [7]).

Cap. V. De Salusti Empedocleis et sodalicio Nigidiano.

Hinc in aliam eamque contortam et difficilem incidimus quaestionem, utrum Empedocleae quoque philosophiae operam dederit Salustius adulescens fructumque inde perceptum carmine exposuerit necne? Haec enim scribit Cicero ad Qu. fr. 2, 9 (11), 4: Lucreti poemata, ut scribis, ita sunt, multis luminibus ingeni, multae tamen artis, sed (si ad umbili) cum veneris, virum te putabo; si Salusti Empedoclea legeris, hominem non putabo." Atque scripta est ea epistula anno 700/54, unde manifestum fit, paulo ante eum annum ut Lucretium, ita Sallustium quendam poemata in lucem edidisse, quae Empedoclea inscripsit, sed aut eas res aut ita iis carminibus tractatas esse, ut cum

[1]) Momms. R. R. III[4] p. 558.
[2]) Cic. Tusc. I, 16 37.
[3]) Cic. de divinat. I, 58, 132.
[4]) 5, 14 abiit in sodalicium sacrilegi Nigidiani. Teuff. R. L. II[2]. 196, 1.
[5]) Suet gramm. 10.
[6]) Suet. gramm. 10.
[7]) cf. Lübker s. v. p. 512.

ad Lucreti poemata perlegenda viri assiduitate et labore opus esse videretur, Empedoclea Sallusti vix ullum hominem legere posse putaret Cicero.

Quis autem fuerit ille Sallustius, viri docti non consentiunt. Atque Wieland nostrum Salustium auctorem fuisse Empedocleorum putasse videtur, adnotavit enim [1]) ad verba „den Empedocles desSallustius“ (sic enim vertit): „Ein von Sallustius, wie es scheint vor kurzem bekannt gemachtes Werk (vermuthlich auch ein Lehrgedicht), welches nach diesem strengen Urtheil Cicero's im Zorn der Musen und Grazien geschrieben war“. Quam opinionem etsi veriorem reddidit Schoene [2]), tamen ad Cn. Sallustium Ciceronis amicum haec verba referenda esse, quod primum statuit [3]), tenere videtur [4]) Teuffel nescio quibus adductus argumentis. Nam in Cn. quidem Sallustium, qui officio vicit omnes [5]), tanta iudici acerbitate usum esse Ciceronem, quem Plinius (ep. III, 15, 1), „mira benignitate poetarum ingenia fovisse“ dicit, equidem credere non possum. Alium igitur Sallustium ea carmina composuisse puto.

Atque nostrum Salustium ea scripsisse haud levia aut infirma praesto sunt argumenta. Licet enim usitatissimi fere moris fuisse videatur poeticas exercitationes instituere, ut Cicero adulescens eo anno, quo virilem togam sumpsit (663/91), poema Pontium Glaucum condidit et carmen heroicum Marii nomine inscriptum [6]) et proximo anno (664/90) Arati phaenomena latinis versibus reddidit, tamen Empedoclea, quae cum Lucreti carminibus componat Cicero, iuvenilibus exercitationibus superiora fuisse videntur. Atqui nostrum Salustium poeticis rebus solito plus exercuisse ingenium ex eius scriptis satis fit manifestum. Color enim ille poeticus et nonnulla, quae ex priscis Romanis poetis desumpta esse videntur, vix aliunde proficisci potuerunt.

Quare factum puto, ut Servius ducentos fere Salusti locos cum Vergili locis conferret eosque non raro cum Lucreti locis coniungeret, ut ad Gorg. 3, 48 (in describenda pestilentia Vergilius) „ordinem secutus est, quem et Lucretius et Sallustius.“ Quam quidem pestilentiae descriptionem Kritz (h. 3, 27) ad historiarum librum tertium refert, Gerlach in incertorum librorum reliquias [7]) rettulerat, Dietsch omisit. Inde Schoene eam Empedocleis tribuendam esse conicit et alios adfert Salusti locos ex Servio, qui, cum historiis aegre possint inseri, ex Empedocleis desumpti esse videntur, ut descriptio terrae motus [8]). Quae si ex Empedocleis desumpta sunt, certe Servius nostrum Salustium ab illo Empedocleorum auctore non distinxit.

Accedunt nonnulla Empedoclis et philosophiae et stili in nostri Salusti scriptis indicia. Vt enim Empedocles non unum alterumve philosophum secutus est, sed Anaxagorae Parmenidis Pythagorae praecepta, quae sibi probarentur,

[1]) Vol. III. p. 219 adn.
[2]) Jahns Jahrb. 1866 p. 751—756.
[3]) Pauly Rer. Encycl. VI, 1 p. 702, 3.
[4]) R. Lit. H² 189. 3.
[5]) Cic. fam. 14, 4, 6 cf. Att. 11, 11, 2
[6]) Plut. Cic. 1, Cic. de leg. 1, 1.
[7]) ed. mai. 191. min. inc. 64 p. 239, 9.
[8]) Serv. Verg. Georg. 2, 479 = Kritz h. 2, 52 = Dietsch. h. 2, 43.

cum suis coniunxit, ita Salustius in scriptis neque Stoicos neque Epicureos secutus esse videtur, sed eorum praecepta, quae quidem sibi probarentur, cum suis coniuncta suo modo et ratione proposuisse. Atque in pestilentiae et terrae motus descriptione haud obscure secutus esse videtur Empedoclis de quattuor elementis opinionem [1]. Stilo autem scripsisse Empedoclem, qui quamquam fuit Dorus, dialecto tamen usus est Ionica, presso et quasi ad unguem castigato, luminum tamen et rerum pleno et memoriae proditum est et ex reliquiis colligitur [2], quocum Salustio nostro in colore poetico et presso quodam et minus usitato dicendi genere ita convenit, ut Empedoclem latino sermone expressisse videatur.

Accedit denique, ut eo redeam, unde abii, sodalicium Nigidianum, in quod Salustius abiisse dicitur. [3] Empedocles enim potissimus Nigidianorum auctor fuisse putandus est. Nam ut Empedocles aliorum quidem philosophorum praecepta cum suis coniunxisse, sed Pythagoricus fuisse putabatur, ita Nigidiani omnium fere philosophorum placita cum suis coniungere, sed ipsi se Pythagoricos dicere solebant [4], ut Empedocles fuerat *πολιτικός*, *φυσικός*, *φιλόσοφος*, *ῥήτωρ*, *ἰατρός*, ita Nigidius ipse et eius socii omnes fere disciplinas cum philosophia coniunxerunt, quod ex ipso indice scriptorum Nigidianorum [5] confici potest, ut Empedocles multa alia peccans in deorum opinione turpissime lapsus esse dicitur a Cicerone [6], ita et P. Vatinius, qui fuit Nigidianus, ab eodem Cicerone odium publicum populi et senatus [7] et struma civitatis [8] appellatur et in Salusti scriptis nonnulla sunt indicia deorum opinionis a ceteris Romanis alienae. Haec argumenta facile possem augere et confirmare, si Empedocleae philosophiae reliquias cum fragmentis Nigidianis et Salusti scriptis accurate conferrem. Quod, cum ad scripta magis quam ad vitam Salusti pertineat, in aliud tempus differo, hoc loco tria ex hac quaestione conficio:

Primum enim Salustium nostrum a primis adulescentiae annis, quo firmiore fundamento niteretur rerum gestarum cognitio, philosophis quoque operam dedisse inter eosque duce ut videtur et doctore Atteio, cui ipsi Empedocles pro varia sua multiplicique doctrina summo opere probaretur, in Empedoclis praeceptis potissimum conquievisse putaverim. Deinde Salustium ut Ciceronem Aratea, Lucretium Epicurea, ita Empedoclea praecepta, id quod fere moris fuisse videtur, latinis versibus aut expressisse aut ea experimendo exercuisse ingenium existimaverim. Denique, cum iis studiis se cum Nigidio Figulo iisque coniunxisset, qui huius hominis doctissimi nomen suis studiis

---

[1]) cf. Serv. ad Verg. Ecl. VI. 31.

[2]) Lübk. s. v. Empedocles. Fr. Guil. Aug. Mullachius, Fragmenta Philosophorum Graecorum. I. Parisiis. Didot. MDCCCLX. Eduard Baltzer, Empedocles. Leipzig Eigendorf 1879.

[3]) Invect. in Sal. 5, 14. cf. Teuff. R. L. H[2] 196, 1.

[4]) Cic. in Vat. 6, 14.

[5]) Teuff. R. L. H[2] 196, 1—8.

[6]) de n. d. 1, 12, 20.

[7]) in Vat. 16, 39.

[8]) pro Sest. 65, 135. cf. Att. 2, 9, 2.

praetenderent[1]), in eorum sodalicium abiisse, eorumque praeceptis imbutum Empedoclea ad finem perduxisse et in lucem edidisse coniecerim. Et Ciceroni quidem neque res in iis expositas neque dicendi genus neque scriptorem ipsum probatum esse, qui et, quae Cicero in Empedoclis praeceptis reprehendit[2]) Vatinioque Nigidiano vitio tribuit[3], inspexerit et Salusti asperum dicendi genus cum Ciceronis elegantia et urbanitate composuerit et Ciceronis inimicum fuisse Salustium inde a Catilinae coniuratione reputaverit, facile intelleget. Quod autem neque a Salustio ipso neque ab aliis commemorentur eius Empedoclea, mirum non est, cum ut Nigidi libri haud ita pervulgata esse videantur, quippe quae contraria esse putarentur Stoicorum religioni ab optimatibus quasi in rempublicam assumptae, et a Salustio ipso, quippe qui in dies longius ab Empedoclea philosophia recederet, aut retracta aut neglecta esse videantur. Fortasse quosdam, qui sibi etiam tum probarentur, locos in historiarum libros assumpsit, unde eos adfert Servius.

Cap. VI. Quo studio ad rempublicam latus sit Salustius?

Ab his litterarum studiis, quibus deditus est Salustius adulescens, ut ad ea veniamus quae postea in re publica gessit, quaeritur primum, cur a litteris ad rem publicam se contulerit? Atque studio se ad rem publicam latum esse ipse dicit Salustius (C. 3, 3). Quo tamen studio cum multi librarii prioresque editores litterarum studium significari putarent[4]), posteriores, qui hoc fere saeculo Salusti scripta illustrarunt, id ita acciperent, ut alii Salustium „inconsulta quadam animi inclinatione“[5]), alii „propensa ad rem publicam capessendam voluntate“[6]), alii gloriae studio ad rempublicam latum esse dicerent, magna, ut in his fere rebus fieri solet, inter viros doctos dissensio est. Nos ne in uniuscuiusque sententiam inquiramus, et his facile concedimus studio hoc loco non posse significari studium litterarum vel historiae scribendae, neque studio ferri aliud esse quam ardenti animo ad aliquam rem rapi[7]) et illis ipso litterarum studio ad rem publicam latum esse Salustium non negamus. Id ut statuamus et verborum contextu et aliis locis, quos supra exposuimus[8]), et ipsa vocis studii significatione monemur. Studium enim cum sit animi assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio[9]), quid aliud est reipublicae studium quam animi assidua et vehemens ad rempublicam applicata occupatio? Salustius autem, cum in republica cognoscenda multam magnamque curam habuisset[10]), nonne se eo studio

[1]) Cic. in Vat. 6, 14.
[2]) Acad. pr. 2, 5, 14. 2, 23, 74. de n. d. 1, 12, 29.
[3]) in Vat. 1. 1 sqq. pro Sest. 65, 135. ad Att. 2, 6, 2. 7, 3. 9, 2.
[4]) Kritz[1] ad locum lect.
[5]) Frotscher apud Kritz[1] ad l. l.
[6]) Dietsch[1] ad l. l.
[7]) Kritz[1] ad l. l.
[8]) cap. III.
[9]) Cic. de inv. 1, 25, 36.
[10]) ep. II. ad Caes. 1, 3.

ad rempublicam latum esse dicere potuit? Quae rei publicae cognoscendae cura cum ab historiae scribendae studio profecta ad capessendam rempublicam aditum pararet Salustio, non ita multum inter se differre doctorum sententias facile intellegitur. Quamvis enim Salustius a primis adulescentiae annis animum in litteris agitaverit, tamen nunquam ita se litteris abdidit, ut a republica penitus abhorreret. Immo, ut rempublicam domi militiaeque, quantumque armis viris opulentia posset, cognitum haberet[1]), a prima adulescentia frequens in foro, comitiis, concionibus adfuisse et ad omnia, quae ibi agebantur, attentum animum advertisse censendus est.

Huc accessit partium popularium studium et Caesaris iuvenilis quaedam admiratio, quibus demum, ut magistratus appeteret, adductus est Salustius. Haec enim ad reipublicae studium adiungens fingitur[2]): Itaque mihi multa cum animo agitanti consilium fuit famam modestiamque meam post tuam dignitatem habere et cuius rei lubet periculum facere, dum quid tibi ex eo gloriae acciderit. Idque non temere neque ex fortuna tua decrevi. sed quia in te praeter ceteras artem unam egregie mirabilem comperi, semper tibi maiorem in adversis quam in secundis rebus animum esse. Cum enim plebeio genere ortus esset et iis temporibus educatus, quibus postquam L. Sulla armis recepta republica bonis initiis malos eventus habuit, raperent omnes, traherent, domum alius alius agros cuperet, neque modum neque modestiam victores haberent, foeda crudeliaque in civibus facinora facerent (Cat. 11, 4), natus nobilitatis inimicus optimatium odium a primis aetatis annis cum litterarum elementis imbiberat et paene cum lacte nutricis suxerat Salustius. Vnus illis temporibus Sullae minis non est perterritus C. Iulius Caesar, Mari affinis, Cinnae gener, qui, cum anno 676/78 gloria militari ornatus ex Asia rediret, proximis annis Cn. Corn. Dolabellam et C. Antonium repetundarum quamquam frustra accusando nobilitatis factionem disturbaret[3]) et privata frumenti et pecuniae distributione plebis animos sibi conciliaret, anno 684/70 per Cn. Pompeium Magnum Marcum Licinium Crassum coss. tribuniciam potestatem restituendo et suadendo legem Aureliam iudiciariam plebem Romanam ex gravi servitute in libertatem restitueret, in praetura denique Catilinae coniurationis tempore, cum vim vi vincere nollet, inimicorum arma ita disiceret, ut ne inimici quidem queri quicquam auderent nisi de magnitudine eius[4]), et omnium popularium animos et Salusti animum non mediocrem in summam sui admirationem studiumque adduxisse putandus est.

His quoniam ad Catilinae coniurationem devenimus, de ea quid senserit Salustius exponemus.

---

[1]) ep. II. ad Caes. 1, 3.

[2]) ep. II. ad Caes. 1, 4.

[3]) ep. II. ad Caes. 2, 4. Hellwig, p. 29.

[4]) ep. II. ad Caes. 2, 4 Hellw. p. 29. Cf. Suet. Iul. Caes. 15 et 16.

Cap. VII. Quid de coniuratione Catilinae senserit Salustius?

Vt enim manifestum est atque omnibus exploratum, quod Salustius de Catilinae coniuratione iudicium fecerit eo tempore, quo librum de ea scripsit, ita, quid eo quo facta est tempore de ea senserit, non est facile ad intellegendum. Licet enim reicienda sit Mommseni[1]) sententia, qui Salusti Catilinam quasi *ἀπολογίαν* Caesaris et Antoni esse contendit, tamen Salustium, si statim post coniurationem factam scripsisset, aliam quandam de ea sententiam prolaturum fuisse non est negandum. Nos ne in leviora inquiramus, quae graviora sunt, ex ipsius Salusti scriptis et ingenio et ex rerum conditione probabimus et conficiemus.

Atque primum statuendum est, iam tum Salustio id facinus in primis memorabile visum esse sceleris atque periculi novitate (Cat. 4, 4). Quamquam enim plebis inopiam, tribunorum ferociam, senatus imbecillitatem, paucorum potentiam in civile bellum erupturas esse iam pridem vidit, tamen homines perditissimos eosque plerumque nobiles neque paucos coniurasse, non ut plebem ex paucorum potentia nobilitatisque iniuriis in libertatem vindicarent, sed ut crudelissimis multorum civium caedibus sibi aditum pararent ad summos honores, suum aes alienum dissolverent, sibi potentiam compararent, rem publicam perderent, id vero memorabile scelus, novum periculum esse videbatur Salustio.

Itaque, id quod est alterum, ea tempestate Salustio imperium populi Romani multo maxume miserabile visum est (C. 36, 4). Cum enim tanta vis morbi plerosque civium animos invasisset, ut duobus senatus decretis ne premio quidem inductus coniurationem quisquam patefaceret, aut ex castris Catilinae discederet (Cat 36, 5), neque solum illis aliena mens esset, sed omnino cuncta plebes Catilinae incepta probaret (C. 37, 1), quo tandem animi dolore Salustium correptum esse putas, qui et patriae amantissimus et plebis misericordia captus utrique maiorem etiam miseriam ab ea coniuratione profecturam esse intellegeret?

Licet enim ex hac tanta morum atque studiorum perversitate ut Caesar ita Sallustius iam tum sibi suasisse videatur, id quod est tertio loco monendum, nisi unius viri fortis imperio frangi non posse paucorum potentiam nobilitatisque superbiam neque senatus auctoritatem firmari, plebis opes augeri, omnium mores corrigi, rem publicam sanari, tamen Catilinam neque eum virum esse, neque ea animo proposuisse, neque si proposuisset, ea quidem quam ingressus esset via perficere posse Salustio non minus quam Caesari exploratum fuisse consentaneum est. Atque Caesarem eum virum fore, qui salvaret rem publicam, si nondum plane videre, at divinare tamen potuit. Neque divinavit modo, verum etiam ex rerum gestarum memoria confecit, si quidem ea, quae (Cat. 53 et 54) de Caesare et Catone disseruit, ad ipsum coniurationis tempus referenda sunt. Licet enim aequis fere laudibus utrumque efferat, tamen artificiose callideque eos ita sibi opponit, ut Caesaris popularium partium studium Catonis severitate,

---

[1]) H. R. III[4] p. 183.

constantia, quasi tenacitate non modo tegatur excuseturque verum etiam in laudem vertatur. Quae si scripsit, ubi ei a spe metu partibus reipublicae animus liber erat (C. 4, 3), quibus laudibus eum, si post coniurationem statim scripsisset, Caesarem elaturum fuisse putas?

Inde intellegitur, id quod est quartum, neque extremum supplicium de Catilinae sociis sumptum Salustio probatum esse. Quamvis enim aversaretur Catilinam eiusque socios, tamen hoc tantum malum, quod plerosque civium animos et cunctam plebem invaserat, non vi atque iniuria resecandum sed fovendum esse putabat, ut vi quodam modo sua erumperet et effunderetur. Eam fere sententiam cum Caesar (C. 51) protulisset, senatus et pleraque nobilitas reiecisset, quid mirum, si Salustius a senatu et nobilitate, unde eum intimus quidam sensus iam pridem abstraxerat, longius recessit, cum Caesare et popularibus capessendae reipublicae studio arctius se coniunxit? Vidit enim nisi magistratibus gerendis se eos iuvare non posse.

Atque ut Caesaris et popularium studium ita Ciceronis et optimatium taedium ex ea coniuratione traxisse videtur Salustius. Ciceronem enim, cum (Cat. 55) eius in sumendo supplicio festinationem exponit et Tulliani foedam atque terribilem faciem describit, haud ita laudibus tollit. Neque commotum se esse Catonis Catulique laudationibus, qui Ciceronem patrem patriae appellarent, cum ne verbo quidem commemorat, satis ostendit. Quod enim de Catilinae sociis extremum supplicium sumere maturavit, Cicero se alio modo cives perniciosos non posse continere professus est [1]). Ita igitur vicerunt optimates, ut eorum imbecillitas omnibus fieret manifesta, Cicero plerisque odio esset, ita victi sunt populares, ut eorum vires non frangerentur, Caesar omnibus fere clarus haberetur. Nam quod a L. Vettio et Qu. Curio (Catulo et Pisone auctoribus) Catilinae coniurationis socius fuisse denuntiabatur, cum Ciceronis testimonio in senatu se purgaret, de Caesaris laude nihil est detractum [2]), quod vero Q. Caec. Metellus Nepos a primo statim tribunatus die in Ciceronem et senatum invehebatur negans cives coniurationis Cat. socios indicta causa necandos fuisse, quod pridie Kal. Ian. abeuntem magistratu (Ciceronem) contionis habendae potestate privavit, qua iniuria nemo unquam in aliquo magistratu improbissimus civis affectus est, quod ante diem tertium Nonas Ianuarias, cum agere coepisset in senatu, tertio quoque verbo Ciceronem appellabat, ei minabatur [3]), quod denique rogationem tulit, ut Pompeius revocaretur cum exercitu, ne diutius cives indicta causa condemnarentur, plurimum de Ciceronis laudibus detractum est.

Atque ea ipsa in re Caesar ita se gessit, ut non solum a popularibus verum etiam a senatu amplissimas laudes sibi conciliaret. Cum enim Qu. Caec. Metello Nepoti auctorem propugnatoremque se pertinacissimum praestitisset et una cum tribuno vi depulsus esset ab optimatibus senatusque insuper decre-

---

[1]) Momms. H. R. III[4] 178.
[2]) Lang. III, 252 initio. Suet. Iul. 10.)
[3]) Cic. ad fam. 5, 2, 6.

visset, ne diutius magistratibus fungerentur, Nepos urbem reliquit, Caesar nihilominus permanere in magistratu et ius dicere ausus iterata vi a tribunali depulsus domi se inclusit multitudinemque biduo post sponte et ultra confluentem et ut ipsorum brachiis et armis usus senatus arrogantiam minueret flagitantem compescuit. Quod cum praeter opinionem evenisset, senatus ob eundem coetum festinato coactus gratias ei per primores viros egit accitumque in curiam et amplissimis verbis collaudatum in integrum restituit [1]).

Ad hanc Caesaris moderationem atque constantiam (ut Hellwig p. 29) rettulerim ea, quae supra (in fine cap. VI.) memoravi, verba epist. II. ad Caes. 2, 4: „in praetura inimicorum arma inermis disiecit" et 1, 4: „in te praeter ceteras artem unam egregie mirabilem comperi, semper tibi maiorem in adversis quam in secundis rebus animum esse." Atque proxime posterioribus annis, ut eos quoque hic adiungam, Caesar et pro praetore in Hispania [2]) et consul Romae „domi militiaeque tanta et tam praeclara facinora fecit, ut ne inimici quidem queri quicquam auderent nisi de magnitudine eius. [3]) Et conquesti sunt de Caesaris magnitudine. Cato enim lege Vatinia de Caesaris provincia et de colonia latina Comum deducenda Caesarem quasi tyrannum acropolim nactum esse praedixit [4]) et Cicero de Caesaris consulatu: „imbecillus, inquit, plus valuit quam tota res publica" [5]) et „regnum, de quo aedilis cogitarat, consul confirmavit" [6])

Haec et talia cum videret et audiret Salustius in dies maiore Caesaris et popularium studio ut a litterarum studio et historiae scribendae consilio abductus ita ad rem publicam capessendam et magistratus appetendos adductus esse putandus est.

Ceterum suae gloriae non minore quam Caesaris studio ad rem publicam latum esse, qui quanti fecerit gloriam reputaverit, facile intelleget. Quare nescio an his annis, qui proxime secuti sunt coniurationem Catilinae, eam ipsam coniurationem, ut historicae artis gloriam quaereret, perscribere sibi proposuerit, sed cum imprimis arduum id sibi videretur esse iis quidem temporibus neque sibi animus esset a partium studio liber et ceteros partium studio, quod scripturus esset, non iuste aestimaturos putaret, eo studio atque incepto omisso ad rei publicae studium se contulerit. Idque et ex ipsius Salusti verbis [7]) et ex accurata et causarum et rerum cognitione et narratione collegerim, quam unde acceperit, nisi aliquos sibi commentarios confecit, vix potest intellegi. Sed cum neque improbandi neque probandi satis firma mihi

---

[1]) Suet. Caes. 16 Bipont.

[2]) Liv. perioch. 103. Bell. Hisp. 42. Lange III. 269.

[3]) ep. II. ad Caes. 2, 4.

[4]) Plut. Cat. min. 33: *προλέγοντος Κάτωνος, ὡς εἰς ἀκρόπολιν τὸν τύραννον αὐτοὶ ταῖς ἑαυτῶν ψήφοις ἱδρύουσιν.*

[5]) ad Att. 7, 9, 3.

[6]) Cic. fragm. p. 249 Klotz.

[7]) C. 4, 2: »a quo incepto studioque me ambitio mala detinuerat.«

praesto sint argumenta, hanc quaestionis partem dubiam relinquam et unum ex hac quaestione conficiam, Salustium de Catilinae coniuratione idem fere sensisse quod Caesarem eaque summo Caesaris et popularium partium studio inflammatum esse, alterum ex his duabus quaestionibus collegerim, et Caesaris et popularium partium et suae gloriae studio paulo post coniurationem Catilinae ad rem publicam capessendam magistratusque appetendos adductum esse Salustium.

Cap. VIII. Quo tempore magistratus adeptus sit Salustius?

In hanc quaestionem solvendam multum facit ipse Sallustius; haec enim exstant in Iug. 4, 4: Qui si reputaverint, et quibus ego temporibus magistratus adeptus sum quales viri idem adsequi nequiverint et postea quae genera hominum in senatum pervenerint, profecto existimabunt etqs.[1]) Quibus quanquam neque quo anno primum magistratum adeptus sit, neque se suo quemque anno magistratum[2]) adeptum esse dicit, tamen cum maiores magistratus ante civile bellum non adeptus sit, dubium non est, quin iis minores magistratus[3]) significaverit. Atque primum honorem in quaestura adeptus est[4]) neque fuit, cur eam non suo anno peteret aut adipisceretur.

Iam vero quaeritur, quo anno praeturam petere licuerit lege Villia annali. Becker enim trigesimo demum anno id licuisse existimat, Rein vicesimo septimo[5]). Atque mihi, cum altius in rem inquirere nequeam, Becker videtur verum tenere. Nam Cicero, qui de off. 2, 17, 59 gloriatur se suo quidem anno cunctis suffragiis adeptum esse honores et in Pis. 1, 2 Pisonis petitionem quaesturae ridet suam ei opponens, trigesimo demum anno quaesturam petiit et adeptus est, quod colligitur ex Brut. c. 92: Vnum annum, cum rediissemus ex Asia, causas nobiles egimus, cum quaesturam nos, consulatum Cotta, aedilitatem peteret Hortensius (ann. 678/76). Quare non recte existimare mihi videtur Dietsch³ (praef. p. 3) Salustium quaesturam, si suo anno petiit, anno 695/59 adeptum esse. Neque proximis tribus annis (696/58—698/56) eam adeptum esse putaverim, cum ii fere crearentur magistratus, qui a senatus (Catonis) aut Pompei aut Crassi aut aliorum partibus starent, Caesaris fere non haberetur ratio, donec Pompeium et Crassum dissentientes mense Aprili anni 698/56 ad se Lucam vocaret, cum iisque pacisceretur, ut ambo consulatum alterum peterent, ne L. Domitius, qui Caesari exercitus ademptumm se esse minatus erat, consul fieret et ut in quinquennium sibi imperium prorogaretur[6]). Nihilominus Salustius his annis tantum afuit, ut ab absentis Caesaris studio abstraheretur, ut in dies magis accenderetur iis, quae domi militiaeque ex Caesaris sententia gesta sunt. Caesar enim et domi „ad securitatem posteri

---

[1]) sic enim reiecta particula et ante quales cum Dietschio (cf. ad l.) scribendum puto, quamvis eam retineat Jordan 1876.

[2]) cf. Cic. de off. 2, 17, 59.

[3]) Gell. n. a. XIII, 15. D. ad Cat. 30, 7.

[4]) Invectiva 5, 15.

[5]) cf. Lübk. s. v. quaestura.

[6]) Suet. Caes. 24. cf. 23.

temporis in magno negotio habuit obligare semper annuos magistratus" et in Gallia tanta facinora fecit, ut ei quindecim dierum supplicatio decerneretur, quod ante id tempus accidit nulli.[1]) Bene igitur scriptor epistulae II. ad Caes. (1, 6) Salustium scribentem facit: per ceteros mortales illa res clarior est, quod prius defessi sunt homines laudando atque admirando munificentiam tuam, quam tu in faciendo quae gloria digna essent. Ex his Caesaris praeclare gestis et optimatium dissensione certe idem sibi persuasit Salustius, quod haruspices a diis immortalibus tunc dicebant moneri[2]): „ad unum imperium provincias redituras", neque alium fore qui rerum potiretur nisi Caesarem. Itaque eo ipso anno 698/56, quo pactio Lucana facta est, Salustium, cum sibi per aetatem lege Villia liceret, quaesturam et petiisse et accepisse puto. Nam et Caesaris triumvirorumque potentia ex ea pactione aucta et confirmata est eorumque interfuisse putandum est, ut minores quoque magistratus a suis gererentur et ad huius anni comitia optime refertur, quod Salustius Iug. 4, 4 dicit, quales viri, quibus temporibus ipse magistratus adeptus sit, idem adsequi nequiverint. Licet enim ea verba in genere ad annos ante civile bellum bene referri possint (Jacobs ad loc.), in specie de quaestura accepta ea dici ex oppositis verbis: „postea quae genera hominum in senatum pervenerint" manifestum fit. Atque repulsam tulerunt eo anno L. Domitius Ahenobarbus et Marc. Cato, qui optime verbis „quales viri" significari potuerunt. Nam quod in ep. II ad Caes. 9, 2. 3 de eorum laude detrahitur, non ex Salusti sententia scriptum esse, qui cum Cat. capp. 53 et 54 contulerit, facile intelleget. Consules igitur mense Febr. aut Martio 699/55 ex pactione Lucana creati sunt Cn. Pompeius Magnus II M. Lic. Crassus II (Lang. 328 sq.); Censores mense Aprili M. Val. Messala Niger P. Servilius Vatia Isauricus; Praetores mense Maio P. Vatinius, qui anno superiore repulsam tulerat, et T. Ann. Milo (?) et alii. Etiam Aediles curules ex sententia consulum non sine tumultu creabantur, in quibus fuit C. Messius.

Iam vero quando creati sint quaestores, in quibus Salustium fuisse statuimus, non est compertum. Neque utrum Romae permanserit quaestor urbanus, an in provinciam abierit, neque quid praeter curam aerarii gesserit aut perfecerit, exploratum est, nisi quod eum a Caesaris et consulum partibus stetisse eosque in provinciis distribuendis Caesarisque imperio in quinquennium prorogando ceteris denique legibus ferendis adiuvisse consentaneum est. Nam ex eo quod est in Invectiva (6, 15): „primum honorem in quaestura adeptus secutus est hunc locum et hunc ordinem (senatum) despectu, cuius aditus sibi quoque sordidissimo homini patuisset", quamquam Salustium urbanum quaestorem fuisse probabiliter conici potest, tamen neque quo facto aut dicto senatum despexerit, neque quid in eo gesserit, confici potest. In senatum enim venisse quaestores urbanos, dum munere fungebantur, ibique praesertim de aerario quid sentirent docuisse ex Auct. ad Her. 1, 12, 21 conficitur. Post

---

[1]) Suet. Caes. 23. Caes. b. g. 2, 35.

[2]) Cic. de har. resp. 19, 40 cf. 25, 54. 27, 60).

quaesturam autem gestam videntur venisse quidem in senatum quaestorii, sed sententiae ferendae ius non habuisse, donec a censoribus in senatum legerentur. (Lang. I p. 744—745). Sed cum non sit memoriae proditum, quando habuerint lectionem senatus censores, quos supra memoravimus, neque quando Salustius in senatum sit adscriptus, compertum est. Neque quomodo proximis duobus annis 700/54 et 701/53, quod tempus comitiis fere et accusationibus iudiciisque consumptum est (Lang. III, 338—351), in republica versatus sit Salustius memoriae proditum est. Non enim nostrum Salustium significari in Ciceronis ep. ad Qu. fr. 3, 4, 2 et 3, 5, 1 mensibus Octobri et Novembri 700/54 scriptis sed Cn. Sallustium Ciceronis amicum in propatulo est [1]). Id unum consentaneum est Salustium in annum 702/52 tribunatum petiisse et adeptum esse.

Cap. VIIII. De C. Salusti tribunatu.

Trium potissimum partium studiis iis temporibus respublica exagitabatur: Caesaris, Pompei, senatus (Catonis, Ciceronis). Atque Caesaris partes in urbe susceperat P. Clodius. Is enim anno 696/58 tribunus plebis Ciceronem in exilium eiecerat, Catonem Cyprum removerat, ipsum Pompeium (Tigrane liberato et lege de Deiotaro et Brogitaro lata) offenderat [2]), anno 698/56 aedilis et populi voluntatem sibi devinxit et Milonem de vi accusavit, hoc denique anno (701/53) praeturam in posterum annum petiit. Senatus autem partes susceperat Titus Annius Milo, qui Ciceroni amicissimus in eo reducendo enixe operam dederat tribunus plebis a. 697/57, et ne Clodius antequam accusaretur aedilis fieret, comitia in ante diem XIII. Kal. Febr. produxerat, postero anno a Clodio de vi accusatus ab ipso Pompeio defensus erat, hoc denique anno ut sibi populi voluntatem conciliaret magnificos ludos edidit [3]) et consulatum petiit in annum 702/52. Pompeius, cum medius esse videretur et modo Clodio modo Miloni faveret, tamen neque a Caesaris neque a senatus partibus stetit. Cum enim ipse dictator fieri et rerum potiri ut cuperet ita non auderet, a quibus sibi quid gloriae dignitatis potentiae accessurum speraret, eos adiuvit, quos ne suis consiliis studiisque afficerent metueret, eos repressit et quam maxime potuit removit. Haec cum videret Salustius et, ut erat acri ingenio, plane perspiceret, tantum afuit, ut a Caesaris partibus unquam abstraheretur, ut famam modestiamque suam (eo ipso quod tribunatum peteret) post Caesaris dignitatem haberet et cuiuslibet rei periculum faceret, dum quid Caesari ex eo gloriae acciderit [4]). Neque enim Salustium neque competitores eius abstinuisse putaverim largitione, quae res ardet invidia [5]), aut ambitu, qui tunc rediit immanis, neque imitatos esse tribunos superioris anni, qui HS quingenis apud M. Porcium Catonem depositis creati sunt. Pompei autem callide excogitatam rationem ita est secutus, ut eum tam diu

---

[1]) Cf. Qu. fr. 3, 4, 3.

[2]) Ascon. p. 47 B. 41, 5 sqq. KS.

[3]) Cic. ad Qu. fr. 3, 8, 6. 3, 1. 9, 2.

[4]) cf. ep. II. ad Caes. 1, 4.

[5]) Cic. Qu. fr. 2, 15.

iuvaret, quamdiu eum iuvando sibi et Caesari prodesse sibi videretur. Accessit Milonis odium ex optimatium Ciceronisque odio, studio Caesaris Clodique profectum. Itaque neque Pompei neque Caesaris potentiae decus atque libertatem suam gratificatum esse [1]) Salustium neque ut privatas cum Milone inimicitias in tribunatu exerceret [2]), bonum publicum simulantem (C. 38, 3) eum petivisse putaverim.

Atque creati sunt tribuni plebis comitiis tributis paulo ante Kal. Sextiles anni 701/53 habitis: Qu. Pompeius Rufus, Sullae dictatoris ex filia nepos, familiarissimus P. Clodio et sectam eius sequi se palam professus [3]), T. Munatius Plancus Bursa, item Milonis inimicus, noster C. Salustius Crispus [4]), M. Caelius Rufus, studiosissimus Milonis [5]), Qu. Manilius Cumanus item Milonis studiosus (Asc. 32, 25 KS), alii, quorum nomina ignorantur. Quamquam enim usu fere receptum fuit, ut tribuni plebis non ita multos dies ante quam tribunatum inirent (a. d. IIII Id. Dec.) crearentur [6]), tamen ut anno proxime superiore (700/54) a. d. V Kal. Sext. ita hoc anno (701/53) mense Quintili tribunos creatos esse cum aliunde [7]) tum ex Dionis Cassi lib. 40, 45, 2 colligitur. Haec enim habet: *καὶ οὐδ' ἂν τότε* (*ἑβδίμῳ μηνὶ* 701/53) *ᾑρέθησαν* (*οἱ ὕπατοι* in eundem annum 701/53), *εἰ μὴ Κύιντός τε Πομπήιος ὁ Ῥοῦφος ἐς τὸ δεσμωτήριον ὑπὸ τῆς βουλῆς καί τοι τοῦ τε Σύλλου θυγατριδοῦς ὢν καὶ δημαρχῶν ἐνεβλήθη καὶ τοῦτο καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς κακουργῆσαί τι ἐθελήσασιν ἐψηφίσθη, τῷ δε Πομπηίῳ ἡ πρὸς αὐτοὺς βοήθεια ἐνεχειρίσθη.* Cum enim toto fere anno 700/54 accusationibus consumpto initio anni 701/53 res ad interregnum redisset, huius anni tribuni, cum alteri tribunos militum consulari potestate creari, alteri Pompeium dictatorem dici vellent, comitia consularia habere usque ad mensem Quintilem prohibuerunt. Neque septimo mense creati essent consules, nisi Qu. Pompeius Rufus, qui C. Lucili Hirri et M. Caeli Viniciani tribunorum rogationem de dictatore dicendo suaserat, in vincula coniectus, in ceteros turbulentos idem consultum, Pompeio senatus consulto ultimo summa res publica commissa esset (L. III 351). Qui cum dictator dici recusaret, comitiis ab interrege habitis sub finem mensis Quintilis [8]) consules creati sunt Cn. Domitius Calvinus M. Valerius Messala. Rufus autem, si nondum erat designatus tribunus plebis, a Dione *δημαρχῶν* dici non potuit, si magistratum iam ingressus, in vincula conici non debuit. Ergo tributa comitia ante consularia habita esse manifestum est.

Vtrum vero *τοῖς ἄλλοις τοῖς κακουργῆσαι ἐθελήσασι* Salustium et Munatium item designatos tribunos significaverit Dio, an alios turbulentos, non liquet; neque quid mali facturi fuerint, exploratum est, nisi quod, cum Pompei contra eos auxilium imploraretur, tribunos militum videntur dicere voluisse. Quod

---

[1]) Iug. 3, 4. D[3] praef. p. 3.
[2]) Cless. p. 236.
[3]) Asc. p. 51 B. 45, 4 KS.
[4]) Asc. 37, 12. 28, 29 KS.
[5]) Asc. 29, 18. 30, 6. 31, 27. 29. 32, 25. 48, 21 KS.
[6]) Lübk. s. v. tribunus 5. p. 1038.
[7]) Lang. III, p. 338 et 351.
[8]) alii Aprilis, ut Halm in memorab. vitae Cic. in ann. 701.

sane a Salusti et Munati consiliis studiisque non alienum fuisse putaverim. In comitiis, quae post consularia habita sunt, praetorum, aedilium, quaestorum suffragatum quidem esse iis, qui a Caesaris partibus starent, offecisse optimatibus, sed cum ne Clodio quidem tanti esset in quinque reliquos menses praeturam petere, neque Salustium multum allaborasse existimaverim. Verum ubi de comitiis in annum posterum anno 702/52 habendis agitari coeptum est, tum vero Salusti voluntas et studium enituit. Consulatum enim petierunt P. Plautius Hypsaeus, cui summo opere studebat Pompeius, quod in bello Mithridatico eius quaestor [1]) fuerat postea familiaris [2]), et Qu. Caecilius Metellus Scipio, cuius causam Cicero contra Favonium egerat [3]), filiam Corneliam morte Crassi viduatam postea uxorem duxit Pompeius [4]), et Titus Annius Milo Papianus, qui cum trib. pl. 697/57 Ciceronem reduxisset et sub finem anni 699/55 uxorem duxisset Faustam Sullae filiam a C. Memmio Gemello dimissam, arctissime se cum optimatibus coniunxerat; praeterea praeturam petiit P. Clodius, qui quamquam paene occisus est a M. Antonio, qui modo a Caesare ad quaesturam petendam venerat, tamen Caesaris partes retinere putabatur [5]). Salustius igitur sive quod leges Clodias [6]) popularibus profuturas esse sperabat, sive quod Caesaris, qui ne sponsione quidem Ciceronis adduci potuerat, ut Miloni faveret, plurimum interesse putabat, certe initio statim Clodio quam maxime studuit, Miloni obstitit, Hypsaeum Scipionemque ut Clodius ita ipse in petendo consulatu adiuvit. Et cum assidue una essent cum candidatis suffragatores Milonis Cicero, Hypsaei Clodius (Asc. 48 OB. 42, 26 sq. KS.), neque Salustium alienum fuisse putaverim ab illis pugnis et tumultibus, quibus, ut in dies traherentur comitia, et Cicero paene confectus est a Clodio et ab Antonio Clodius et Favonius aedilis a Pompeio Rufo, qui a. d. IIII. Idus Decemb. tribunatum inierat, in vincula coniectus est et comitiis iam incohatis, ubi Milonem consulem fieri videt Clodius [7]), ambo consules vulnerati sunt [8]). Neque tribus senatus consultis, quibus et provinciarum spem in quinque annos removerat et vestes mutare decreverat et Isi Serapique cultus ne haberetur edixerat, a Clodi studio tumultibusque abductus est Salustius, immo initio anni 702/52, cum Pompeius et T. Munatius tr. pl. referri ad senatum de pratriciis convocandis, qui interregem proderent, non essent passi [9]), ipse et Qu. Pompeius Rufus inimicissimas Miloni habuerunt conciones et contionati sunt, ut Asconius [10]) ex Actis exscripsit, eo ipso die, quo Clodius occisus est, „utrique et inimici Miloni et satis inquieti.“

---

[1]) Asc. p. 36 OB. 31, 5 sq. KS.
[2]) Cic. fam. 1, 1, 3. Att 3, 8, 3.
[3]) Cic. Att. 2, 1, 9.
[4]) Lang. II. 360.
[5]) Cic. Phil. 2, 20, 49. Dio C. 45, 26.
[6]) Cic. Mil. 12, 33, 32, 87. 33, 89. Asc. p. 52 OB. 46, 20 KS.
[7]) Cic. p. Mil. 9, 25.
[8]) Lang. III. p. 354.
[9]) Asc. 32 OB. 27, 8 sqq. KS.
[10]) p. 49 OB. 43, 15 sq. KS.

Fuit autem ille dies, quo Clodius interfectus est, a. d. XIII. Kal. Februarias; recte enim Asconius[1]) Acta magis sequenda esse et ipsam orationem, quae Actis congruit, putat quam Fenestellam, qui a. d. XIIII Kal. Febr. tradit. Caede igitur Clodi quamquam maxime commotum esse Salustium consentaneum est, tamen in contionibus postero die a Planco et Rufo tribunis plebis concitatis interfuisse non dicitur ab Asconio[2]), neque in incendio curiae neque in oppugnatione domus Lentuli interregis aut Milonis, neque ubi fasces attulit ad domum Scipionis et Hypsaei clamavitque Pompeium modo consulem modo dictatorem multitudo Clodiana, Salustius interfuisse memoratur.[3]) Fortasse, quae fere fuit opinio, Milonem ivisse in voluntarium exilium, tantos igitur motus, quibus civium indignatio moveretur, neque opus neque ex re esse putaverit.[4]) Verum ubi Milo eadem nocte Romam reversus, qua incensa est curia, Cn. Pompeium convenire conatus est et in contione a M. Caelio data sibi a Clodio factas esse insidias dixit, tum vero eorum, qui inimici fuerunt Milonis, tribunorum fuit, ut Pompeium a Milone abstraherent suspicionesque in Milonem moverent. Dixerat igitur Qu. Pompeius in contione a. d. VIII Kal. Februarias[4]): „„Milo dedit, quem in curia cremaretis: dabit quem in Capitolio sepeliatis."" Et prius quam Pompeius III consul crearetur[5]), tres tribuni Qu. Pompeius Rufus, C. Salustius Crispus, T. Munatius Plancus, cum cotidianis contionibus suis magnam invidiam Miloni propter occisum Clodium excitarent, produxerant ad populum Cn. Pompeium et ab eo quaesierant, num ad eum delatum esset illius quoque (rei) indicium, suae vitae insidiari Milonem. Respondit Pompeius: Licinium quendam de plebe sacrificulum, qui solitus esset familias purgare, ad se detulisse servos quosdam Milonis itemque libertos comparatos esse ad caedem suam, nomina quoque servorum edidisse; (se) ad Milonem misisse, ut eos in potestate sua haberet; a Milone responsum esse, ex iis servis quos nominasset partim neminem se unquam habuisse, partim manumisisse; dein cum Licinium apud se haberet, . . . Lucium quendam de plebe ad corrumpendum indicem venisse; qua re cognita in vincla eum publica esse coniectum. Decreverat enim senatus (sub finem mensis Ian. puto post novemdialia Clodi et oppugnationem domus Lepidi III Kal. Febr.), ut cum interrege et tribunis pl. Pompeius daret operam, ne quid respublica detrimenti caperet. Ob has suspiciones Pompeius in superioribus hortis se continuerat, deinde ex S. C. dilectu per Italiam habito cum redisset venientem ad se Milonem unum omnium non admiserat. Item cum senatus in porticu Pompei haberetur, ut Pompeius posset interesse, unum eum excuti, priusquam in senatum intraret, iusserat (Asc. p. 51 sq. OB. 45 sq. KS.) Ex his Asconi verbis colligitur Pompeium paulo post senatus consultum ultimum ante quam ad dilectum habendum profici-

[1]) p. 34 O. B. 28, 29 KS.
[2]) Ascon. 29, 9 sqq. KS.
[3]) Ascon. 29, 12 sqq. KS.
[4]) Ascon. 51 OB. 45 KS.
[5]) a. d. V. Kal. Mart. mense intercalario.

sceretur [1]) a tribunis productum esse ad populum et Salustium iam iis temporibus cum Rufo et Planco cotidianis contionibus magnam invidiam Miloni excitasse neque aliud efficere voluisse, quam ut Milonem opprimeret, Pompeium a Milonis et optimatium partibus seiungeret. Id cum effecisse sibi videretur, cum Pompeius dilectu habito Romam reversus Miloni se neque petendi neque desistendi auctorem esse profiteretur, cum unum non admitteret, quin etiam excuti priusquam in senatum intraret iussisset, Salustius cum non haberet, quod diutius in Milonem inveheretur, neque Scipioni conquerendi in senatu contra Milonem [2]) neque Claudiis adulescentulis quaerendi apud Pompeium de familia Milonis et uxoris eius Faustae [3]) auctor aut suffragator fuisse mihi videtur.

His enim cum Pompeius iam apertius ostenderet se dictatorem dici velle, Salustium summo studio contendisse puto, ut Caesar consul fieret; ad quae partium studia referendum esse mihi videtur, quod est apud Dionem Cassium 40, 50, 3: *διαθρoούντων τῶν μὲν ὡς δικτάτωρα τὸν Πομπήϊον, τῶν δὲ ὡς ὕπατον τὸν Καίσαρα αἱρηθῆναι δεῖ.* Videbat enim et necessitudinem, quae intercesserat inter Caesarem et Pompeium, et Iulia Caesaris filia Pompei uxore mortua et Crasso mortuo in dies magis solvi et metuendum esse, ne Pompeius si dictator fieret arctius se cum optimatibus contra Caesarem coniungeret. Neque opinio eum fefellit. Nam ubi facto in Bibuli sententiam senatus consulto Pompeius ab interrege Serv. Sulpicio V. Kal. Martias non dictator quidem dictus, sed consul sine collega creatus est, statim Catonem, ut sibi a consiliis esset, rogavit [4]) et nuptias a Caesare oblatas repudians [5]) Corneliam, Q. Scipionis filiam Crassi morte viduatam uxorem duxit. [6]) Quod cur fecerit Pompeius optime exponit Dio Cassius 40, 51, 1 et 2: *Οὐ μέντοι καὶ μόνος ἄρξαι ἠθέλησεν . . καὶ φοβηθεὶς μήποτε . . ὁ Καῖσαρ ἔκ τε τῆς τῶν δυνάμεων καὶ ἐκ τῆς τοῦ πλήθους σπουδῆς συνάρχων αὐτῷ δοθῇ, ἐκείνῳ μέν, ἵνα μὴ καὶ παντελῶς παρημελῆσθαι νομίσῃ καὶ ἐκ τούτου τινὰ ὀργὴν δικαίαν ποιήσηται, παρεσκεύασε διὰ τῶν δημάρχων ἐπιτραπῆναι καὶ ἀπόντι τὴν ἀρχήν, ὅταν ἐκ τῶν νόμων καθήκῃ αἰτῆσαι, αὐτὸς δὲ Κύιντον Σκιπίωνα πενθερόν τέ οἱ ὄντα καὶ δικασμοῦ αἰτίαν ἔχοντα προσείλετο.*

In horum tribunorum numero sine ulla dubitatione fuit Salustius. Caesar enim suos tribunos, qui sibi consulatum deferre voluerant, monuerat, ut eo studio remisso efficerent, ut sibi cum rebellione Gallorum ab urbe retineretur, consulatum in annum 705/49 etiam absenti petere liceret [7]), quam tribunorum rogationem Pompeius pro tempore probavit Ciceronemque permovit, ut efficeret, ne Caelius intercederet. Ita rogatum a decem tribunis privilegium Caesari

---

[1]) Lang. III. 356.
[2]) a. d. XII Kal. Mart. post diem tricesimum fere quam erat Clodius occisus. Asc. 36 OB. 30 KS.
[3]) Ascon. p. 35 OB. 29 KS.
[4]) Plut. Pomp. 54. Cat. min. 48. *παρεκάλει σύμβουλον αὐτῷ καὶ πρόεδρον εἶναι τῆς ἀρχῆς.*
[5]) Suet. Caes. 27.
[6]) Plut. Pomp. 55, 74 sq. Asc. 32 OB. 27 KS: Pompeius gener Scipionis.
[7]) Lang. III. 360.

gratissimum contra dicentibus inimicis, Catone vero acerrime repugnante, perlatum est.[1])

Nec minore studio Salustium cum iis, qui a Caesaris partibus stabant, contra legem Pompeiam de ambitu pridie Kal. Martias in senatu latam, cum esset Caesari periculosa, donec Pompeius se cum Caesare periculo eximeret, contendisse consentaneum est.[2]) Cum autem eodem die ageretur in senatu de altera lege Pompeia de vi et auctore Planco Q Fufius Calenus, ut Hortensi sententia divideretur, postulasset, facto in priorem partem senatus consulto P. Clodi caedem et incendium curiae et oppugnationem aedium M. Lepidi contra rempublicam factam, ne de altera parte (ut extra ordinem quaereretur apud quaesitorem)., quae ex sententia Milonis esse et legem de vi tamquam non necessariam reicere videretur, rogarentur sententiae, Plancus et Salustius intercesserunt.[3]) Quod indignatus Cicero his verbis significat (p. Mil. 6, 14): „Quod si per furiosum illum tribunum pl. senatui quod sentiebat perficere licuisset, novam quaestionem nullam heberemus. Decernebat enim ut veteribus legibus tantum modo extra ordinem quaereretur. Divisa sententia est postulante nescio quo, nihil enim necesse est omnium me flagitia proferre. Sic reliqua auctoritas senatus emta intercessione sublata est.“ Quae ne Salustio opprobrio sint, accuratius in ea inquirendnm videtur esse. Atque intercessionem Salusti et Planci tribunorum, si revera emta fuit, id quod iis quidem temporibus fere fieri solebat, a Pompeio emptam fuisse, ne senatus auctoritate, quominus ad populum referret legem, impediretur, manifestum est. At Salustium quidem non tam pretio aut studio Pompei adductum esse puto, ut intercederet, quam quod eam legem de vi Miloni et Pompeio perniciosam fore intellegeret. Erat enim futurum ut ea lege et Milo condemnaretur et Pompeius et optimates legitimis quasi inimicitiis dirimerentur. Priores autem partes hac in re sumpsisse sibi ipse gloriatus est T. Munatius in contione, in qua postero die, id est Kal. Martiis, exposuit populo, quae pridie acta erant in senatu; haec enim dixit ad verbum[4]): Adversus hominem ingeniosum (Hortensium) non ingenio usi sumus: invenimus Fufium, qui diceret „Divide“; reliquae parti sententiae ego et Salustius intercessimus.

Non est igitur dubitandum, quin Munatium dixerit Cicero tribunum illum furiosum. Is enim cum M. Caelius et Q. Manilius Cumanus tribuni plebis Milonis studiosissimi obsistere ei legi (de vi) conarentur, quod et privilegium dicerent in Milonem ferri et iudicia praecipitari[5]) productis in contionem testibus cum Q. Pompeio Rufo magnam Miloni invidiam paravit[6]) et postea quam Pompeius et Salustius fuerunt in suspicione rediisse in gratiam cum Milone ac Cicerone, infestissime perstitit atque in Ciceronem quoque multitudinem insti-

[1]) Caes. b. c. 1, 32. Lang. III. 360.

[2]) Suet. Caes. 30. App. b. c. 2. 25: ὡς ἀμείνονος ὄντος (Καίσαρος) ὑποψίας.

[3]) Lang. III. 363, Ascon. 44, 45 OB. 39 KS.

[4]) Ascon. 45. OB. 39 KS.

[5]) Asc. 37 OB. 31 sq. KS. Cf. Gell. n. a. 10, 20, 3.

[6]) Asc. 38 OB; 32 KS.

sceretur[1]) a tribunis productum esse ad populum et Salustium iam iis temporibus cum Rufo et Planco cotidianis contionibus magnam invidiam Miloni excitasse neque aliud efficere voluisse, quam ut Milonem opprimeret, Pompeium a Milonis et optimatium partibus seiungeret. Id cum effecisse sibi videretur, cum Pompeius dilectu habito Romam reversus Miloni se neque petendi neque desistendi auctorem esse profiteretur, cum unum non admitteret, quin etiam excuti priusquam in senatum intraret iussisset, Salustius cum non haberet, quod diutius in Milonem inveheretur, neque Scipioni conquerendi in senatu contra Milonem[2]) neque Claudiis adulescentulis quaerendi apud Pompeium de familia Milonis et uxoris eius Faustae[3]) auctor aut suffragator fuisse mihi videtur.

His enim cum Pompeius iam apertius ostenderet se dictatorem dici velle, Salustium summo studio contendisse puto, ut Caesar consul fieret; ad quae partium studia referendum esse mihi videtur, quod est apud Dionem Cassium 40, 50, 3: *διαθροούντων τῶν μὲν ὡς δικτάτωρα τὸν Πομπήϊον, τῶν δὲ ὡς ὕπατον τὸν Καίσαρα αἱρηθῆναι δεῖ.* Videbat enim et necessitudinem, quae intercesserat inter Caesarem et Pompeium, et Iulia Caesaris filia Pompei uxore mortua et Crasso mortuo in dies magis solvi et metuendum esse, ne Pompeius si dictator fieret arctius se cum optimatibus contra Caesarem coniungeret. Neque opinio eum fefellit. Nam ubi facto in Bibuli sententiam senatus consulto Pompeius ab interrege Serv. Sulpicio V. Kal. Martias non dictator quidem dictus, sed consul sine collega creatus est, statim Catonem, ut sibi a consiliis esset, rogavit[4]) et nuptias a Caesare oblatas repudians[5]) Corneliam, Q. Scipionis filiam Crassi morte viduatam uxorem duxit.[6]) Quod cur fecerit Pompeius optime exponit Dio Cassius 40, 51, 1 et 2: *Οὐ μέντοι καὶ μόνος ἄρξαι ἠθέλησεν . . καὶ φοβηθεὶς μήποτε . . ὁ Καῖσαρ ἔκ τε τῆς τῶν δυνάμεων καὶ ἐκ τῆς τοῦ πλήθους σπουδῆς συνάρχων αὐτῷ δοθῇ, ἐκείνῳ μέν, ἵνα μὴ καὶ παντελῶς παρημελῆσθαι νομίσῃ καὶ ἐκ τούτου τινὰ ὀργὴν δικαίαν ποιήσηται, παρεσκεύασε διὰ τῶν δημάρχων ἐπιτραπῆναι καὶ ἀπόντι τὴν ἀρχήν, ὅταν ἐκ τῶν νόμων καθήκῃ αἰτῆσαι, αὐτὸς δὲ Κύιντον Σκιπίωνα πενθερόν τέ οἱ ὄντα καὶ δικασμοῦ αἰτίαν ἔχοντα προσείλετο.*

In horum tribunorum numero sine ulla dubitatione fuit Salustius. Caesar enim suos tribunos, qui sibi consulatum deferre voluerant, monuerat, ut eo studio remisso efficerent, ut sibi cum rebellione Gallorum ab urbe retineretur, consulatum in annum 705/49 etiam absenti petere liceret[7]), quam tribunorum rogationem Pompeius pro tempore probavit Ciceronemque permovit, ut efficeret, ne Caelius intercederet. Ita rogatum a decem tribunis privilegium Caesari

---

1) Lang. III. 356.
2) a. d. XII Kal. Mart. post diem tricesimum fere quam erat Clodius occisus. Asc. 36 OB. 30 KS.
3) Ascon. p. 35 OB. 29 KS.
4) Plut. Pomp. 54. Cat. min. 48. *παρεκάλει σύμβουλον αὐτῷ καὶ πρόεδρον εἶναι τῆς ἀρχῆς.*
5) Suet. Caes. 27.
6) Plut. Pomp. 55, 74 sq. Asc. 32 OB. 27 KS: Pompeius gener Scipionis.
7) Lang. III. 360.

gratissimum contra dicentibus inimicis, Catone vero acerrime repugnante, perlatum est.[1])

Nec minore studio Salustium cum iis, qui a Caesaris partibus stabant, contra legem Pompeiam de ambitu pridie Kal. Martias in senatu latam, cum esset Caesari periculosa, donec Pompeius se cum Caesare periculo eximeret, contendisse consentaneum est.[2]) Cum autem eodem die ageretur in senatu de altera lege Pompeia de vi et auctore Planco Q Fufius Calenus, ut Hortensi sententia divideretur, postulasset, facto in priorem partem senatus consulto P. Clodi caedem et incendium curiae et oppugnationem aedium M. Lepidi contra rempublicam factam, ne de altera parte (ut extra ordinem quaereretur apud quaesitorem)„ quae ex sententia Milonis esse et legem de vi tamquam non necessariam reicere videretur, rogarentur sententiae, Plancus et Salustius intercesserunt.[3]) Quod indignatus Cicero his verbis significat (p. Mil. 6, 14): „Quod si per furiosum illum tribunum pl. senatui quod sentiebat perficere licuisset, novam quaestionem nullam heberemus. Decernebat enim ut veteribus legibus tantum modo extra ordinem quaereretur. Divisa sententia est postulante nescio quo, nihil enim necesse est omnium me flagitia proferre. Sic reliqua auctoritas senatus emta intercessione sublata est." Quae ne Salustio opprobrio sint, accuratius in ea inquirendum videtur esse. Atque intercessionem Salusti et Planci tribunorum, si revera emta fuit, id quod iis quidem temporibus fere fieri solebat, a Pompeio emptam fuisse, ne senatus auctoritate, quominus ad populum referret legem, impediretur, manifestum est. At Salustium quidem non tam pretio aut studio Pompei adductum esse puto, ut intercederet, quam quod eam legem de vi Miloni et Pompeio perniciosam fore intellegeret. Erat enim futurum ut ea lege et Milo condemnaretur et Pompeius et optimates legitimis quasi inimicitiis dirimerentur. Priores autem partes hac in re sumpsisse sibi ipse gloriatus est T. Munatius in contione, in qua postero die, id est Kal. Martiis, exposuit populo, quae pridie acta erant in senatu; haec enim dixit ad verbum[4]): Adversus hominem ingeniosum (Hortensium) non ingenio usi sumus: invenimus Fufium, qui diceret „Divide"; reliquae parti sententiae ego et Salustius intercessimus.

Non est igitur dubitandum, quin Munatium dixerit Cicero tribunum illum furiosum. Is enim cum M. Caelius et Q. Manilius Cumanus tribuni plebis Milonis studiosissimi obsistere ei legi (de vi) conarentur, quod et privilegium dicerent in Milonem ferri et iudicia praecipitari[5]) productis in contionem testibus cum Q. Pompeio Rufo magnam Miloni invidiam paravit[6]) et postea quam Pompeius et Salustius fuerunt in suspicione rediisse in gratiam cum Milone ac Cicerone, infestissime perstitit atque in Ciceronem quoque multitudinem insti-

[1]) Caes. b. c. 1, 32. Lang. III. 360.
[2]) Suet. Caes. 30. App. b. c. 2. 25: ὡς ἀμείνονος ὄντος (Καίσαρος) ὑποψίας.
[3]) Lang. III. 363, Ascon. 44, 45 OB. 39 KS.
[4]) Ascon. 45. OB. 39 KS.
[5]) Asc. 37 OB. 31 sq. KS. Cf. Gell. n. a. 10, 20, 3.
[6]) Asc. 38 OB. 32 KS.

gavit. Dicturum quoque diem Ciceroni Plancus ostendebat, postea quam Q. Pompeius idem meditatus erat (Asc. 39 OB. = 33 KS). His proximis Asconi verbis illustrantur ea, quae ad Cic. p. Mil. 18,47[1]) adnotavit: Qu. Pompeius Rufus et C. Salustius tribuni fuerant quos significat. Hi enim primi de ea lege ferenda hortati sunt pupulum et dixerunt a manu Milonis occisum esse Clodium, consilio vero maioris alicuius.[2]) Hae enim individiosae de Cicerone contiones cum referendae sint ad id tempus, quo primum lex Pompeia de vi agitari coepta est, et priore loco Qu. Pompeium idem quod postea Plancum meditatum esse dicat Asconius neque Salustium eo loco commemoret, hoc quoque loco non tam Salustium et Pompeium, quam Pompeium et Munatium homines abiectos et perditos dicere mihi videtur Cicero.

Quid ut inde conficiam? Id quod factum esse suspicionem fuisse prodit Asconius[3]) Salustium ante legem Pompeiam de vi perlatam redisse in gratiam cum Milone ac Cicerone. Nam quod paulo superius memoravit Asconius, inter primos et Qu. Pompeium et C. Salustium et T. Munatium Plancum tribunos plebis inimicissimas contiones de Milone habuisse, invidiosas etiam de Cicerone, quod Milonem tanto studio defenderet, cum ad omne temporis spatium, quod inter caedem Clodi et rogationem legis de vi intercessit, tum adhoc rogationis tempus referendum esse et ex tempore imperfecto verbi h a b e b a n t et ex omni verborum contextu intellegitur. Postea autem cum neque Salustium neque Pompeium inimicitias in Ciceronem aut Milonem exercuisse usquam memoretur, profecto non est cur suspicionem, quam fuisse refert Asconius, improbemus. Immo de Salustio eam suspicionem veram fuisse facile probatur ex iis, quae post tribunatum depositum acta esse memoriae proditum est, difficile est idem de Pompeio confirmare. Pompeius enim tribunatu deposito accusatus a M. Caelio Milonis et Ciceronis amico, cum a Pompeio Magno derelictus esset, damnatus est ante Kalendas Iunias anni 703/51.[4]) Id autem Ciceronis potissimum inimicitiis effectum esse equidem collegerim ex eo, quod Caelius ad Ciceronem[5]) scribit, pridie eius diei in urbe ac foro toto maximum rumorem fuisse Ciceronem a Qu. Pompeio in itinere occisum esse: se qui scriret Qu. Pompeium Baulis emeticam facere non esse commotum. Etiam Plancus, qui infestissime perstiterat, tribunatu deposito accusatus est de vi lege Pompeia ab ipso Cicerone et „contra incredibilem clarissimi et potentissimi viri“ (Pompei) contentionem in exilium actus[6]) ad Caesarem se contulit, a quo magno congiario donatus[7]) postea restitutus est[8]). Salustium autem post tribu-

[1]) Scilis, iudices, fuisse qui in hac rogatione suadenda dicerent (diceret KS.) Milonis manu caedem esse factam consilio vero maioris alicuius. Me videlicet latronem et sicarium abiecti homines et perditi describebant.

[2]) Asc. 49. 50 OB. 44 KS.

[3]) p. 39 OB. 33 KS.

[4]) Cf. Wieland Cic. ep. IIII. p. 24.

[5]) fam. 8, 1, 4. VIII. Kal. Iun. 703/51.

[6]) Cis. fam. 7, 2, 2.

[7]) Cis. fam. 8, 1, 2.

[8]) ad Att. 6, 1, 10. 12, 62, 1.

natum accusatum esse aut inimicitias exercuisse cum Cicerone aut Milone non est compertum. In gratiam igitur redisse cum iis, quod de Pompeio aegre probaveris, id de Salustio haud improbaveris.

Iam vero c u r in gratiam cum Milone et Cicerone redierit quaeritur. Quamquam enim non eam intercessisse gratiam putaverim, quae Salusti animum Miloni aut Ciceroni reconciliaret aut ad optimatium studia traduceret, tamen nisi magna accessisset causa et gravis Salustium neque inimicitiis quasi publice exercitis destitisse neque legem Pompeiam perferendam in medio quasi opere reliquisse existimaverim.

Atque sunt, qui publicam eius rei causam fuisse putant. Cum enim ex omnibus eius anni tribunis unus Plancus semper a Pompei partibus stetisse videatur, quare, cum causam diceret, a Pompeio laudatus est contra legem Pompeiam, Qu. Pompeius Cn. Pompei partes initio susceptas deseruisse, Salustius semper a Caesaris partibus stetisse videatur, hos Caesaris studio Pompei odio in gratiam cum Milone et Cicerone redisse putant, ne aut Milone tribunorum contentione damnato Pompeius nemine impediente regnaret invidiamque eius rei in turbulentos tribunos transferret aut cum absoluto Milone se contra tribunos coniungeret optimatiumque res ageret, sed ut damnati Milonis invidia in ipsum Pompeium, absolnti gratia in Caesarem et tribunos redundaret. At cum iam pridem adesset ea causa publica neque subito emergeret, cur non initio statim restitit legi Pompeiae de vi in Milonem latae, cur ipse cum Planco ne fieret illud senatus consultum intercessit?

Aliam igitur eamque privatam causam accessisse statuendum est; neque alia mihi quidem fuisse videtur, quam Salusti adulterium cum Fausta, Sullae filia, Milonis uxore [1]). Quod quidem si revera factum est, id quod infra monstrabimus, ubi de Salusti moribus exponemus, in haec tempora incidere debuit. Milo enim a. d. XVIIII Kal. Ian. anni urb. c. 700/54 uxorem duxerat Faustam a C. Memmio Gemello dimissam [2]), a. d. VI Idus Apriles anni 702/52 damnatus relicta Fausta in exilium ivit Massiliam. Atque ut ante inimicissimas illas contiones factum esse adulterium non est veri simile, ita inter illas contentiones tantum abest, ut credi vix possit [3]), ut sit veri simillimum. Salustius enim praeter libidinem aliam eamque quasi publicam consuetudinis causam habere potuit, ut ex uxore, quae Miloni eius itineris, in quo interfectus est Clodius, comes fuerat, aliquid certi de Clodi caede audiret. Et audierit fortasse, quod cum Milo ne proderetur metueret, aldulterium ei ignovit ea conditione, ut pecuniam, qua maxime egeret Milo, daret et inimicitiis desisteret. Faustam enim non eo, quo Fulviam ex Clodi caede, affectam esse dolore ex Milonis periculo ex omni Asconi enarratione Milonianae causae intellegitur.

Interfuisse in hac re, quin etiam egisse puto Qu. Pompeium, qui cum esset Faustae ex sorore Cornelia nepos, facilius eam adire potuit, quare nescio

---

[1]) Gell. n. a. 17, 18.

[2]) Asc. in Scaur. p. 29. OB. 25, 11 sq. KS. Cic. Att. 4, 13, 1 cf. 1, 18, 3. p. Sull. 19, 55 Halm.

[3]) Dietsch[a] praef. 8.

an eadem de causa in gratiam cum Milone redierit. Neque solum Salustium fuisse amatorem Faustae ex Horat. Serm. 1, 2, 64—67, ubi (Sext?) Villius [1]) et Logarenus quidam ridentur, et Macrobi Sat. 2, 2, ubi Faustus Sulla, cum soror eius eodem tempore duos moechos haberet, Fulvium Fullonis filium et Pompeium Maculam: miror, inquit, sororem meam habere maculam, cum fullonem habeat, satis intellegitur. Sed de his alias, nunc ad Salusti tribunatum redeo.

Quamvis igitur inimicitiis abstinuerint Salustius et Qu. Pompeius, tamen Milo lege Pompeia paulo post Idus Martias perlata accusatus et a. d. VI. Idus Apriles damnatus in exilium Massiliam se contulit. Eius bona propter aeris alieni magnitudinem semuncia venierunt [2]), Faustae tamen „cautum voluit, cui ut ratum esset, Cicero voluit, ut Philotimus (Terentiae libertus) sit in bonis Milonis" [3]). Praeterea multi cum Miloniani tum maxime Clodiani alii praesentes alii, cum citati non respondissent, damnati sunt. [4]) In iis iudiciis. cum ne nominetur quidem Salustius, neque interfuisse neque egisse videtur. Neque num cum aliis tribunis et Scipione consule, qui modo legem Caeciliam de censura tulerat, interfuerit in illo convivio [5]), in quo nobilium matronarum pudicitia quasi gulae causa prostituta est, satis est compertum. Leges autem de provinciis et de iure magistratuum, quas paulo post Milonem damnatum tulit Pompeius „suarum legum auctor idem ac subversor" [6]), cum Caesari officere viderentur, Salustium frustra quidem impugnasse, sed id effecisse puto, ut Pompeius, ne aperte Caesarem provocare videretur, posteriori legi perlatae, adderet, ut Caesar eximeretur [7]). Quae exceptio, quamquam impugnari potuit et est impugnata a M. Claudio Marcello consule Caesari inimicissimo pridie Kal. Oct. 703/51 [8]), tamen, cum potestatem daret Caesari non ante dimittendi exercitus, quam consulatum absens petiisset et accepisset, belli civilis initium fuit.

Omne igitur ingenium atque omne studium Salustius tribunus ad Caesaris gloriam dignitatemque servandam atque augendam contulit. Quare nescio an ad tribunatum potissimum referenda sint, quae sunt in ep. II. ad Caes. 1, 4: consilium fuit famam modestiamque meam post tuam dignitatem haberi et quoius rei lubet periculum facere, dum quid tibi ex eo gloriae acciderit. Mihi quidem his verbis quidquid effecit, quidquid ausus est in tribunatu (etiam adulterium = periculum cuius libet rei?) Caesaris causa se fecisse confirmare vel confirmans fingi videtur Salustius. Accedit quod etiam alia multa, quae sunt in eadem epistula, ita bene ad hunc annum 702/52 et ad proximum 703/51 referuntur, ut ea epistula, si non revera scripta esse a Salustio, id

---

1) cf. Cic. fam. 2, 6, 1.
2) Asc. 54 OB. 48, 15 KS. cf. Cic. fam. 8, 3, 2. Att. 5, 10, 4, 6, 4, 3. 6, 5, 6. 7, 1.
3) Cic. Att. 5, 8, 2.
4) Asc. 55 OB. 49 KS.
5) Val. Max. 9, 1, 8. L III, 367.
6) Tac. an. 3, 28.
7) Lang. III. 368.
8) Lang. III. p. 374. 375. Suet. Caes. 28.

quod Hellwigio videtur, at fingi tamen scripta esse anno 703/51 ante Martium mensem [1]) putanda sit.

Quid autem reliquo anni 703/51 spatio egerit Salustius non est compertum, nisi si quis eum cum Bibulo pro quaestore in Syriam provinciam abiisse existimaverit. Exstat enim epistula Ciceronis [2]) ad Caninium (vulg.) vel Gaium (Klotz ind.) Salustium pro quaestore Bibuli scripta sub finem mensis Quintilis (704/50), qui quis fuerit ignoratur.[3]) Nam ad Cn. Sallustium Ciceronis amicum acerbam illam epistulam scriptam esse, quod Orellius in onomast. s. v. et Klotz in inscriptione (p. 43.) significant, credi vix potest. Ad nostrum autem C. Salustium si scripta est ea epistula, id quod ego, quamvis bene res congruant, tamen maxime dubitaverim, testimonio est cuiuslibet rei periculum fecisse Salustium Caesaris causa. Nam quod de rationibus ferendis (§. 2.) iisque mittendis (§. 4.), de drachmum CCCIↃↃↃ commodandis ex pecunia publica, de legionibus (ex Gallia) in Syriam decretis (§. 5.), de commendatione ad Bibulum (§. 6.) scripserat, certe si scripsit cum suae inopiae levandae causa tum maxime, ut Ciceronem et Bibulum in discrimen adduceret eoque Caesarem iuvaret, ex Cicerone quaesivit. Quae si quis probaverit, Salustium a mense Septembri 703/51 usque ad mensem Novembrem [4]) 704/50 in Syria fuisse statuet neque interfuisse in illis inimicissimis relationibus, quas de Caesare habuit M. Claudius Marcellus adversus ille consul anni 703/51, postero anno C. Claudius Marcellus, qui, cum Caesaris proneptem haberet uxorem, ei tamen inimicissimus fuit. Sed prioris Marcelli relationibus restitit Pompeius, posterioris C. Scribonius Curio tr. pl., quem Caesar ingenti mercede ad se traduxerat. Is tandem mense Iunio 704/50 sententiam pertulit, ut eodem die et Caesar et Pompeius provinciis decederent et exercitus dimitterent, quo compositae videbantur esse simultates.[5]) Interim mense Maio (704/50) creati sunt censores L. Calpurnius Piso, Caesaris a cuius partibus stetit socer, et Appius Claudius Pulcher, qui a Pompei partibus stetit. Qui cum Salustium senatu moverint, accuratius in eorum consilia inquirendum esse nobis videtur.

Cap. X. Cur senatu motus sit Salustius?

Optime de hac quaestione refert Dio Cassius 40, 63 sq.: *τιμηταὶ τὸν χρόνον τοῦτον ὅ τε Κλαύδιος ὁ Ἄππιος καὶ ὁ Πίσων, καίτοι μὴ βουληθεὶς ἐγένοντο. καὶ οὗτος μὲν διὰ τὴν συγγένειαν ὑπῆρχε τῷ Καίσαρι, ὁ δὲ δὴ Κλαύδιος ἠναντιοῦτο μὲν αὐτῷ, τὰ γὰρ τοῦ Πομπηίου ᾑρεῖτο, οὐκ ἐλάχισ ταδὲ καὶ ἄκων ὠφέλησε. πλείστους γὰρ καὶ τῶν ἱππέων καὶ τῶν βουλευτῶν διέγραψεν, ἐκβιασάμενος τὸν συνάρχοντα, κἀκ τούτου πάντας αὐτοὺς τὰ τοῦ Καίσαρος φρονεῖν ἐποίησεν. ὁ γὰρ Πίσων οὔτ' ἄλλως πράγματ' ἔχειν ἐθέλων καὶ πρὸς τὴν τοῦ γαμβροῦ φιλίαν πολλοὺς θεραπεύων αὐτὸς μὲν οὐδὲν τοιοῦτον ἐποίησεν, ἐκείνῳ δὲ οὐκ ἀντέπραξε πάντας*

[1]) cf. Helwig p. 29.
[2]) ad fam. 2, 16
[3]) Metzger, sämmtliche Briefe Cicero's, übersetzt. Stuttgart. Hoffmann. 1868. II. B. p. 229.
[4]) Cic. Att. 7, 3, 6.
[5]) Lang. III. 387.

μὲν τοὺς ἐκ τῶν ἀπελευθέρων, συχνοὺς δὲ καὶ τῶν πάνυ γενναίων ἄλλους τε, καὶ τὸν Κρίσπον τὸν Σαλούστιον τὸν τὴν ἱστορίαν γράψαντα, ἀπελάσαντι ἐκ τοῦ συνεδρίου. τὸν μέντοι Κουρίωνα μελλήσαντα καὶ αὐτὸν ἀπαλειφθήσεσθαι ἐξῃτήσατο μετὰ τοῦ Παύλου (L. Aemili consulis), *οὗπερ συγγενὴς ἦν.* Narrat igitur Cassius Pisonem invitum quidem sed Caesaris soceri gratia factum esse censorem et ipsum quidem, cum a negotiis omnino abhorreret, neminem notasse neque eiecisse, sed Claudio, qui et vim inferret et Caesari quamvis invitus multum prodesset, non obstitisse, quominus equites et senatores notaret plurimos et cum alios multos tum Salustium scriptorem historicum senatu moveret: unum Curionem cum L. Aemilio Paulo sibi expetiisse Pisonem neque tamen impedire potuisse Appium, quominus in senatu sententiam censoriam de eo ferret.[1]) Causa autem quae fuerit Appio tam multos senatu movendi, quamvis non aperte dicat Dio, tamen non obscure a partium studio repetit. Appius enim cum Pompei partes suscepisset quam plurimos, qui a Caesaris partibus stabant, senatu movere consilium ceperat. Sed neque solos Caesaris assectatores eiecisse Appium colligitur ex ipsis Dionis verbis (40, 63, 3): *ἐκ τούτου πάντας αὐτοὺς τὰ τοῦ Καίσαρος φρονεῖν ἐποίησεν.* Et Ateium quidem Capitonem, Ciceronis familiarissimum [2]), notasse, quod cum Crassus in provinciam proficisceretur, auspicia ementitus esset, testis est Cicero de div. 1, 16, 29: „Appius, bonus augur non satis scienter virum bonum et civem egregium censor C. Ateium notavit, quod ementitum auspicia subscripserit. Esto: fuerit hoc censoris, si iudicabat ementitum, at illud minime auguris, quod adscripsit ob eam causam populum Romanum calamitatem maximam cepisse.“ Haec ergo fuit praescriptio, veram causam fuisse putaverim, quod „tanti is Caesarem faceret semperque fecisset.“[3]) Etiam C. Scribonium Curionem trib. pl. per causam quidem malorum morum sed re vera ob amicitiam Caesaris senatu movere conatus est, quod ex Pisonis et Pauli intercessione et ex iis manifestum fit, quae postea in senatu acta sunt.[4]) M. Caelium autem, qui neque tunc a Caesaris partibus stabat et ipsum Appium de maiestate reum adiuverat[5]), cur notare paraverit Appius nisi ob malos mores ego non video.[6])

Omnes igitur, quos quidem senatu motos esse comperimus, privata causa aut morum aut alterius flagiti allata motos esse traditum est, unum Salustium propter solum partium studium motum esse statuemus? Praesertim cum ne licuisse quidem censoribus putandum sit per publicam causam notare aut movere quemquam. Accedit quod Appius, quo plures nataret et eiceret, ut de signis et tabulis, de agri modo, de aere alieno acerrime egit, ita edicto monstruosas libidines poena dignas esse statuisse videtur[7]). Reliquum est ut inqui-

---

[1]) Dio C. 40, 64, 1 sq.
[2]) Cic. fam 15, 29, 2.
[3]) Cic. fam. 15, 29, 2.
[4]) Dio Cass. 40, 64. Lang. III. 394.
[5]) Cic fam. 8, 6, 1. 5. 2, 13, 7.
[6]) cf. Cic. fam. 8, 14, 4 et 8, 12.
[7]) Lang. A. R. III. 390.

ramus, cur Piso et Paulus Curionem et ipsum Caelium nota liberaverint, Salustium non sint tutati? Quod enim aperte et plane dicit Dio: ἐκείνῳ (τῷ Ἀππίῳ) οὐκ ἀντέπραξε (ὁ Πίσων) . . . τὸν Κρίσπον τὸν Σαλούστιον . . . ἀπελάσαντι . .", non mihi videtur esse neglegendum. Atque ego Salustium neque crimina neque senatum tanti fecisse putaverim, ut Pisonis auxilium imploraret, Pisonem nec voluisse nec potuisse servare Salustium aut flagitia confessum aut arctius se cum Caesare coniuncturum. Quare non omni ex parte conviciatoris esse mihi videntur ea verba, quae sunt in Invectiva 6, 16 Iord: ecquod hunc movere possit, patres conscripti, factum aut dictum turpe, quem non puduerit palam vobis audientibus adulterium confiteri, quodsi tibi per me nihil respondere voluissem, sed illud censorium eloquium Appi Claudi et L. Pisonis, integerrimorum virorum, quo usus est quisque eorum, pro lege palam universis recitarem, nonne tibi viderer aeternas inurere maculas, quas reliqua vita tua eluere non posset? Neque post illum dilectum senatus vidimus te, nisi forte in ea te castra coniecisti, quo omnis sentina rei publicae confluxerat." Ergo per causam morum malorum Salustium senatu motum esse nemo negabit. Sed de his alio tempore, quo de moribus et scriptis C. Salusti disseremus, uberius exponemus, nunc inquiramus:

Cap. XI. Quid Salustius senatu motus fecerit?

Atque ad Caesarem, a cuius partibus iam pridem stetit, se contulisse Salustium cum ex Dionis (40, 63, 3) et Invectivae (6, 16) verbis, quae modo laudavimus, tum maxime ex Ciceronis et Caeli epistulis sub finem anni 704/50 scriptis intellegitur. Quod enim Caelius iam mense Septembri praeviderat [1]) Cn. Pompeium senatum habiturum, ad Caesarem omnes, qui cum timore aut mala spe vivant, accessuros," id et ipse et multi alii paulo post fecerunt. Scribit enim Cic. ad Att. [2]): „Hoc video cum homine audacissimo paratissimoque (Caesare) negotium esse: omnes damnatos, omnes ignominia adfectos, omnes damnatione ignominiaque dignos illuc facere, omnem fere iuventutem, omnem illam urbanam ac perditam plebem, tribunos valentes addito Qu. Cassio, omnes qui aere alieno premuntur, quos plures esse intellego, quam putaram. Vnum de Caelio. Tantum abest, ut meam ille sententiam moveat, ut valde ego ipsi, quod de sua sententia decesserit, poenitendum putem . . . Ille (Caesar) mihi litteras blandas mittit, facit idem pro eo Balbus. Mihi certum est, ab honestissima sententia digitum nusquam . . . . Bibulus de provincia decessit, Veientonem praefecit. In decedendo erit, ut audio, tardior." Quare si noster fuit ille C. Salustius, qui M. Bibulo in Syria pro quaestore fuit [3]), ego eum paulo ante Kal. Dec. provincia decessise et, cum senatu motus aere alieno premeretur, protenus ad Caesarem se contulisse putaverim. Sin, id quod ego puto, in urbe adfuit tum, cum senatu motus est (mense (Septembri), cum

[1]) Cic. fam. 8, 14, 3

[2]) 7, 3, 6 sq. VI. Id. Dec. 704/50.

[3]) Cic. fam. 2, 17.

ceteris Caesaris assectatoribus eum beurin remansisse puto, donec III. Non. Ian. facto senatus consulto ultimo, ut consules, praetores, tribuni pl. et Cicero qui proconsule erat, viderent, ne quid res publica detrimenti caperet, M. Antonius et Qu. Cassius tribuni pl. cum Curione et M. Caelio aliisque se ad Caesarem Ravennam conferrent.[1]) Postea in occupanda Italia sine dubio egregiam navavit operam Caesari, qui Rubicone Idibus Ian. traiecto sexaginta diebus totius Italiae potitus est. Quare cum septem dies Romae commoratus ad opprimendos Pompei legatos in Hispaniam profectus est. Salustium cum aliquot cohortibus sub M. Antoni trib. pl. et legati sui imperio ad urbes cohortesque, ne ad Pompeium deficerent, custodiendas in Italia reliquit. Non enim eas omnes in fide Caesaris confirmatas fuisse intellegitur ex eo, quod scribit Cic. ad Atticum 10, 16, 4 venisse ad se centuriones trium cohortium, quae Pompeiis essent, se et oppidum ipsi tradituros.[2]) Dum Caesar Hispania potitur C. Antonius et P. Cornelius Dallabella, qui duabus legionibus et quadraginta navibus Illyricum tutandum susceperant, a Qu. Octavio et L. Scribonio Libone, qui Pompei navibus praeerant, ita premebantur, ut Dolabella Dalmatia pelleretur, Antonius in insula Curicta obsideretur. Auxilio iis missi ex Italia Basilus et C. Salustius cum cohortibus, ex Tyrrheno mari naves, quas ducebat Qu. Hortensius. Sed neque hic neque illi quidquam ad salvandum Antonium valuerunt. Antonius cum plerisque suis captus, alii se ipsi interfecerunt, pauci re infecta in Italiam reversi sunt[3].) Bene ad hanc rem adnotavit Dietsch[4]) errare eos, qui has res male gestas confundunt cum incommodo illo post pugnam Pharsaliam in Illyrico accepto, quod narratur bell. Alex. cc. 42—46. Ibi enim res contra eundem Octavium a Qu. Cornificio et Gabinio male gestas Octavio superato restituit Vatinius. Interim Caesar ex Hispania reversus et dictator dictus a M. Aemilio Lepido comitiis mense Decembri habitis consules creavit se et P. Servilium Vatiam Isauricum, praetores M. Caelium Rufum, C. Trebonium, Qu. Pedium, P. Sulpicium Rufum aliosque suos. Quos autem aediles et quaestores creaverit, quamvis memorriae proditum non sit, tamen quin in quaestorum numero fuerit C. Salustius, non est dubitandum. Nam quod Dietsch Salustium iam anno 705/49, cum Caesar Pompei legatos in Hispania superaret, quaestorem urbanum fuisse putat, mihi quidem non probatur, cum neque Caesarem eo anno novos magistratus creasse traditum sit neque Salustius, si quaestor urbanus fuisset, auxilio mitti potuisset C. Antonio. Hoc autem anno 706/48 quaestorem fuisse Saiustium et ex rerum conditione manifestum fit, cum Caesaris in bello Pharsalio, quod parabat, non minoris quam in Hispaniensi interesset, ut fidis quaestoribus committeretur aerarium, et in Invectiva (16, 17 Iord.) aparte dicitur: At idem Salustius, qui in pace

---

[1]) Cic. fam. 16, 11, 2 sq. scr. pridie Idus Ianuar. 705/49.
[2]) Lang. III. 409.
[3]) Dio C. 41, 40. Lang. III, 409.
[4]) praef.[2] p. 10.

ne senator quidem manserat, posteaquam res publica armis oppressa est, idem a victore, qui exules reduxit, in senatum per (? post: O) quaesturam reductus est. Verbo victore Caesarem significari iam Cortius ad locum adnotavit. Is enim hoc mense Decembri, si non ipse eam, de qua Graeci scriptores tradunt, legem Iuliam de reditu damnatorum tulit, at per M. Antonium tamen tr. pl. (ergo a. d. IIII Id. Dec.) aliosque tribunos eas leges ferendas curavit?[1]) Quare nescio an cum aliquo aculeo M. Antonius dicatur „victor", vehebatur enim in essedo tribunus pl., antecedebant lictores laureati, inter quos aperta lectica mima (Cytheris) portabatur.[2]) Sed quisquis fuit ille victor, qui exules reduxit, Salustium non ante eas leges de reditu damnatorum latas quaesturam alteram adeptum esse ex omni verborum contextu intellegitur.

Quam vero provinciam quaestoriam sortitus sit, utrum urbanam, an Calenam, an aliam, an cum Caesare ad bellum Pharsalium profectus sit non est compertum, nisi quod ex Invectivae (6,17 Iord.) et Dionis (42,52) verbis colligere posse mihi videor, non urbanam provinciam sortitum esse Salustium, sed cum Caesare ad bellum profectum. Narrat enim Dio (42, 52, 2) Salustium anno 707/47 praetorem designatum esse, ut in senatum veniret (στρατηγὸς γὰρ ἐπὶ τῷ τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν ἀπεδέδεικτο), et in Invectiva in omnibus codicibus antiquis exstat: in senatum post quaesturam reductus est. Quod post non bene in per mutasse mihi videntur Mommsen (Staatstr. 3, 396 adn. 2.), Teuffel (Sall. p. 3 n. 4), Iordan (ed. II. 1876). Licet enim quaestoribus urbanis eo anno, quo magistratibus fungebantur, senatum adire licuerit, licet quaestores omnes post gestas quaesturas proxima lectione senatus legi soliti sint, tamen quaestor, qui aliam quam urbanam provinciam sortitus erat, bene „post quaesturam in senatum reductus" dici potuit, quin etiam si non antea lectus est, praetor designari potuit, ut in senatum veniret. Ad bellum autem profectum esse ut statuamus, faciunt ea, quae de quaestura Salusti sunt in Invectiva (6, 17 Iord.): quem honorem (quaesturam) ita gessit, ut nihil in eo non venale habuerit, cuius aliquis emptor fuerit. Ita egit ut nihil non aequum ac verum duxerit, quod ipsi facere collibuisset, neque aliter vexavit ac debuit, si quis praedae loco magistratum accepisset. Quibus verbis licet crimina augeantur, tamen rem in iis veram inesse non negabis. Atque quaestor urbanus aut alterius provinciae pacatae quid venale habere potuerit, quomodo vexare potuerit, cum in omnibus fere a maiorum magistratuum nutu penderet, ego non video. Licet enim verba vexare et praeda, id quod bene adnotavit Cortius, de iis in primis dicta sint magistratibus, qui in provincias missi essent, tamen, cum ne verbo quidem significetur provincia, ego Salustium neque in ulla provincia quaesturam gessisse neque ut Qu. Cornificium in Illyrium ita in aliam provinciam quaestorem pro praetore[3]) missum esse a Caesare putaverim. In bello autem et venale habere potuit, cuius aliquis emptor fuerit, et vexare victos ac si praedae loco magistratum accepisset. Post

[1]) Lang. III. 411.
[2]) Cic. Att. 10, 10, 5. Phil. 2, 24, 58.
[3]) Lang. I, 796.

ceteris Caesaris assectatoribus eum beurin remansisse puto, donec III. Non. Ian. facto senatus consulto ultimo, ut consules, praetores, tribuni pl. et Cicero qui proconsule erat, viderent, ne quid res publica detrimenti caperet, M. Antonius et Qu. Cassius tribuni pl. cum Curione et M. Caelio aliisque se ad Caesarem Ravennam conferrent.[1]) Postea in occupanda Italia sine dubio egregiam navavit operam Caesari, qui Rubicone Idibus Ian. traiecto sexaginta diebus totius Italiae potitus est. Quare cum septem dies Romae commoratus ad opprimendos Pompei legatos in Hispaniam profectus est. Salustium cum aliquot cohortibus sub M. Antoni trib. pl. et legati sui imperio ad urbes cohortesque, ne ad Pompeium deficerent, custodiendas in Italia reliquit. Non enim eas omnes in fide Caesaris confirmatas fuisse intellegitur ex eo, quod scribit Cic. ad Atticum 10, 16, 4 venisse ad se centuriones trium cohortium, quae Pompeiis essent, se et oppidum ipsi tradituros.[2]) Dum Caesar Hispania potitur C. Antonius et P. Cornelius Dallabella, qui duabus legionibus et quadraginta navibus Illyricum tutandum susceperant, a Qu. Octavio et L. Scribonio Libone, qui Pompei navibus praeerant, ita premebantur, ut Dolabella Dalmatia pelleretur, Antonius in insula Curicta obsideretur. Auxilio iis missi ex Italia Basilus et C. Salustius cum cohortibus, ex Tyrrheno mari naves, quas ducebat Qu. Hortensius. Sed neque hic neque illi quidquam ad salvandum Antonium valuerunt. Antonius cum plerisque suis captus, alii se ipsi interfecerunt, pauci re infecta in Italiam reversi sunt[3].) Bene ad hanc rem adnotavit Dietsch [4]) errare eos, qui has res male gestas confundunt cum incommodo illo post pugnam Pharsaliam in Illyrico accepto, quod narratur bell. Alex. cc. 42—46. Ibi enim res contra eundem Octavium a Qu. Cornificio et Gabinio male gestas Octavio superato restituit Vatinius. Interim Caesar ex Hispania reversus et dictator dictus a M. Aemilio Lepido comitiis mense Decembri habitis consules creavit se et P. Servilium Vatiam Isauricum, praetores M. Caelium Rufum, C. Trebonium, Qu. Pedium, P. Sulpicium Rufum aliosque suos. Quos autem aediles et quaestores creaverit, quamvis memorriae proditum non sit, tamen quin in quaestorum numero fuerit C. Salustius, non est dubitandum. Nam quod Dietsch Salustium iam anno 705/49, cum Caesar Pompei legatos in Hispania superaret, quaestorem urbanum fuisse putat, mihi quidem non probatur, cum neque Caesarem eo anno novos magistratus creasse traditum sit neque Salustius, si quaestor urbanus fuisset, auxilio mitti potuisset C. Antonio. Hoc autem anno 706/48 quaestorem fuisse Saiustium et ex rerum conditione manifestum fit, cum Caesaris in bello Pharsalio, quod parabat, non minoris quam in Hispaniensi interesset, ut fidis quaestoribus committeretur aerarium, et in Invectiva (16, 17 Iord.) aparte dicitur: At idem Salustius, qui in pace

---

[1]) Cic. fam. 16, 11, 2 sq. scr. pridie Idus Ianuar. 705/49.

[2]) Lang. III. 409.

[3]) Dio C. 41, 40. Lang. III, 409.

[4]) praef.[3] p. 10.

ne senator quidem manserat, posteaquam res publica armis oppressa est, idem a victore, qui exules reduxit, in senatum per (? post: O) quaesturam reductus est. Verbo victore Caesarem significari iam Cortius ad locum adnotavit. Is enim hoc mense Decembri, si non ipse eam, de qua Graeci scriptores tradunt, legem Iuliam de reditu damnatorum tulit, at per M. Antonium tamen tr. pl. (ergo a. d. IIII Id. Dec.) aliosque tribunos eas leges ferendas curavit?[1]) Quare nescio an cum aliquo aculeo M. Antonius dicatur „victor“, vehebatur enim in essedo tribunus pl., antecedebant lictores laureati, inter quos aperta lectica mima (Cytheris) portabatur.[2]) Sed quisquis fuit ille victor, qui exules reduxit, Salustium non ante eas leges de reditu damnatorum latas quaesturam alteram adeptum esse ex omni verborum contextu intellegitur.

Quam vero provinciam quaestoriam sortitus sit, utrum urbanam, an Calenam, an aliam, an cum Caesare ad bellum Pharsalium profectus sit non est compertum, nisi quod ex Invectivae (6,17 Iord.) et Dionis (42,52) verbis colligere posse mihi videor, non urbanam provinciam sortitum esse Salustium, sed cum Caesare ad bellum profectum. Narrat enim Dio (42, 52, 2) Salustium anno 707/47 praetorem designatum esse, ut in senatum veniret (*στρατηγὸς γὰρ ἐπὶ τῷ τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν ἀπεδέδεικτο*), et in Invectiva in omnibus codicibus antiquis exstat: in senatum post quaesturam reductus est. Quod post non bene in per mutasse mihi videntur Mommsen (Staatstr. 3, 396 adn. 2.), Teuffel (Sall. p. 3 n. 4), Iordan (ed. II. 1876). Licet enim quaestoribus urbanis eo anno, quo magistratibus fungebantur, senatum adire licuerit, licet quaestores omnes post gestas quaesturas proxima lectione senatus legi soliti sint, tamen quaestor, qui aliam quam urbanam provinciam sortitus erat, bene „post quaesturam in senatum reductus“ dici potuit, quin etiam si non antea lectus est, praetor designari potuit, ut in senatum veniret. Ad bellum autem profectum esse ut statuamus, faciunt ea, quae de quaestura Salusti sunt in Invectiva (6, 17 Iord.): quem honorem (quaesturam) ita gessit, ut nihil in eo non venale habuerit, cuius aliquis emptor fuerit. Ita egit ut nihil non aequum ac verum duxerit, quod ipsi facere collibuisset, neque aliter vexavit ac debuit, si quis praedae loco magistratum accepisset. Quibus verbis licet crimina augeantur, tamen rem in iis veram inesse non negabis. Atque quaestor urbanus aut alterius provinciae pacatae quid venale habere potuerit, quomodo vexare potuerit, cum in omnibus fere a maiorum magistratuum nutu penderet, ego non video. Licet enim verba vexare et praeda, id quod bene adnotavit Cortius, de iis in primis dicta sint magistratibus, qui in provincias missi essent, tamen, cum ne verbo quidem significetur provincia, ego Salustium neque in ulla provincia quaesturam gessisse neque ut Qu. Connificium in Illyrium ita in aliam provinciam quaestorem pro praetore[3]) missum esse a Caesare putaverim. In bello autem et venale habere potuit, cuius aliquis emptor fuerit, et vexare victos ac si praedae loco magistratum accepisset. Post

[1]) Lang. III. 411.

[2]) Cic. Att. 10, 10, 5. Phil. 2, 24, 58.

[3]) Lang. I, 796.

Pharsaliam autem pugnam Salustium cum M. Antonio, qui legiones aliquot reduxit, mense Septembri 708/48 in Italiam reversum esse puto et ad eos ultimos quaesturae Salusti menses potissimum referenda esse putaverim ea, quae in Invectiva vitio tribuuntur Salustio. Antonius enim quid gesserit exponit Cicero (Phil. 2, 25, 62): Italiae rursus percursatio eadem comite mima (Cytheride), in oppida militum crudelis et misera deductio, in urbe auri, argenti maximeque vini direptio. Accessit ut Caesare ignaro, cum esset ille Alexandreae, beneficio amicorum eius magister equitum constitueretur. Tum existimavit se suo iure cum Hippia vivere et equos vectigales Sergio mimo tradere. Tum sibi non hanc, quam nunc male tuetur, sed Marci Pisonis domum ubi habitaret legerat. Quid ego istius decreta, quid rapinas, quid haereditatum possessiones datas, quid ereptas proferam? Cogebat egestas; quo se verteret, non habebat, nondum ei tanta a L. Rubrio, non a L. Turselio hereditas venerat, nondum in Pompei multorumque aliorum, qui aberant, repentinus heres successerat. Erat ei vivendum latronum ritu, ut tantum haberet quantum rapere potuisset.“ Haec tanta cum fecerit Antonius magister equitum, quid eius quaestorem Salustium fecisse putas? Num resistere potuit eius exemplo, voluntati, imperio? Et quid mirum si, ut Cicero (div. in Caec.) Verris rapinas in eius quaestorem Caecilium transtulit, ita declamator quidam, quae in Antonium referenda erant, transfert in Salustium? Venio nunc ad ea,

Cap. XII. Quae post quaesturam gesserit Salustius?

Atque haec exstant in Invectiva (6, 18 Iord.): „Peracta quaestura postea quam magna pignora eis dederat, cum quibus similitudine vitae se coniunxerat, unus iam ex illo grege videbatur, eius enim partis erat (exemplar H.) Salustius, quo tanquam in unam voraginem coetus omnium vitiorum excesserat: (quidquid impudicorum, cilonum, parricidarum, sacrilegorum, debitorum fuit in urbe, municipiis, coloniis, Italia tota) sicut in fretis subsederant nominis perditi ac notissimi, nulla in parte castris apti nisi licentia vitiorum et cupiditate rerum novarum.“ Quorum quae uncis inclusi, cum et aequalitatem membrorum tollant et uberior verbi vitiorum expositio esse videantur, reicienda esse putaverim, reliqua non inepte miseram et Salusti et militum in Italiae inferioris oppida deductorum conditionem significare mihi videntur. Nam de militibus iisque perditis dicta esse ex ultimis verbis intellegitur. Legionum autem, cum neque praemia in bello Pharsalio promissa acciperent et otio et amoenitate effeminarentur, iam anni 707/47 initio nec vis fuit eadem nec voluntas.[1]) Salustius igitur, cum Antoni sumptus profusos et nosset et improbaret, militum querelas iure niti intellegeret neque vita multum ab iis differret, unus iam ex illo grege videbatur.

Quare Caesar, cum sibi Idibus fere Quinctilibus in Syriam nuntiaretur[2]), ambitione et indulgentia tribunorum militum et eorum, qui legionibus prae-

---

[1]) Cic. Att. 11, 10, 2 scr. VII. Kal. Feb. 707/47.
[2]) Bell. Alex. c. 65.

erant, multa contra morem consuetudinemque militarem fieri, quae dissolvendae disciplinae severitatisque essent, misit M. Gallium Qu. F., qui (Idibus fere Sextilibus) Brundisium venit, ut legiones in Siciliam traduceret [1]). Neque enim Salustium venisse, ut legiones traduceret, neque nostro Salustio quidquam ignovisse Caesarem, id quod bene adnotavit Dietsch [2]), qui legerit eam epistulam (Att. 11, 20), facile intelleget. Sunt enim haec eius verba: Septimo decimo Kal. Sept. venerat die XXVIII Seleucia Pieria C. Trebonius, qui se Antiochia diceret apud Caesarem vidisse Quintum filium cum Hirtio. Eos de Quinto (patre), quae voluisset, impetrasse nullo quidem negotio. Etiam Sallustio ignovit. Omnino dicitur nemini negare; quod ipsum est suspectum, notionem eius differri. M. Gallius Qu. F. mancipia Sallustio reddidit. Is venit ut legiones in Siciliam traduceret." Atque Pompei assectatorem fuisse illum Sallustium, cui Caesar ignovit, manifestum est. Quare nescio an fuerit Cn. Sallustius, Ciceronis amicus, cum quo, ut Quintus frater filium cum Hirtio, ita Marcus Ciceronem filium ad Caesarem mittere constituerat quidem [3]), sed cum de Caesaris Alexandria discessu nondum audisset, non misit [4]). Eidem Cn. Sallustio, cum opulentus fuerit [5]), Gallium mancipia reddidisse puto, Gallium autem venisse ut legiones traduceret. Idem eodem fere tempore efficere conati sunt P. Corn. Sulla et Marcus Messala; sed cum Sullam lapidibus egisset legio duodecima [6]) Messalam T. Salienus centurio legionis quintae obsedisset Messanae (? bell. Afr. 28), ambo „cucurrerunt" ad Caesarem „pulsi a militibus, qui se negabant usquam, nisi accepissent" [7]). Caesar igitur cum in Italiam venisset mense Septembri omnes, quae nondum erant traductae, copias, ne cum singulis pacisceretur et ut inde facile in Africam traducerentur, in Campaniam deduci iussisse mihi videtur [8]). Interim ipse Romae composito Dolabellae et Trebelli et Antoni tumultu [9]), quo pluribus de se bene meritis satisfaceret, et in reliquos menses anni 707/47 et eodem fere tempore in proximum annum 708/46 magistratus creavit. Haec enim sunt apud Dionem (42, 51, 3): („*ἀνηρτήσατο*) *τῶν προσεταιριστῶν τῶν τε συναγωνιστῶν τοὺς μὲν βουλευτὰς ἱερωσύναις τὲ καὶ ἀρχαῖς ταῖς τε ἐς τὸν λοιπὸν τοῦ ἔτους ἐκείνου χρόνον καὶ ταῖς ἐς νέωτα, ἵνα γὰρ πλείους αὐτῶν ἀμείψηται, στρατηγούς τε δέκα ἐς τὸ ἐπιὸν ἔτος ἀπέδειξε καὶ ἱερέας ὑπὲρ τὸ νενομισμένον.*" Et in praetorum quidem numero sine dubio fuit Salustius [10]). Atque ex eo ipso, quod eo anno creatus est praetor, quo Caesar, ut quam pluri-

[1]) Cic. Att. 11, 20, 2 scr. XVI Kal. Sept. 707/47.

[2]) [praef.² p. 10²] contra Teuffel R. E. VI 1 p. 696. Kritz praef. p. 3. Klotz in ind. s. v. C. Salustius aliosque.

[3]) fam. 14, 11, 2 Att. 11, 17, 1.

[4]) Att. 11, 18, 1.

[5]) Att. 11, 11, 2.

[6]) Cic. Att. 11, 21, 2. VI. Kal. Sept.

[7]) Cic. Att. 11, 22, 2 circ. Kal. Sept.

[8]) cf. Dio C. 42, 52, 1: *ἐν Καμπανίᾳ δὲ οἱ πλείους αὐτῶν, ὡς καὶ ἐς τὴν Ἀφρικὴν προπλευσόμενοι, ἦσαν.*

[9]) Appian. b. c. II 92: *ὡς δ' ἦλθεν ἡ μὲν στάσις ἡ πολιτικὴ κατεπαύετο . . .*

[10]) Dio C. 42, 52, 2: *στατηγὸς γάρ . . , ἀπεδέδεικτο.* Invect. 7, 19. Bell. Afr. 8.

mis satisfaceret, ipsum numerum auxit, colligi potest Salustium superioribus annis bene de Caesare meritum esse neque si quid in quaestura aut post eam peccaverit, id Caesarem rescivisse. Sed utrum in huius anni menses reliquos [1]), an in proximum annum [2]) creatus sit praetor, non est exploratum. Ex iis quidem, quos Lange [3]) adfert, locis neque hoc neque illud confici potest. Sed cum „eadem licentia (qua alia disposuit Caesar) spreto patriae more magistratus in plures annos ordinaverit“ [4]), nescio an recte in utrumque annum Salustium praetorem creatum esse statuerim. Quanti enim fecerit Caesar nostrum Salustium etiam ex eo cognoscitur, quod eum praetorem (designatum?) ad legiones Campaniae sibi reconciliandas misit iisque per eum et praemia cum pro Pharsalio tum pro Africano bello, si perfectum esset, daturum se esse promitti et mille denarios [5]) singulis dari iussit. Qua in legatione paene occissus est a militibus seditiosis. Optime rem exponunt Appianus [6]) et Cassius Dio [7]). Quamquam autem neque Appiani neque Dionis verbis, quid Salustius in hac re peccavarit, significatur, immo Caesari ipsi, quod in legiones seditiosas minus graviter animadverterit, magnam invidiam exortam esse dicit Plutarchus [8]), tamen infestissimos fuisse milites Salustio, quem, cum modo sui similem cognovissent, iam praetorem sibi imperare dedignarentur [9]), et parum ei fidisse ex eo conficitur, quod fugientem eum tanto studio persecuti sunt et interrogati, *τί βουλόμενοι καὶ τίνος χρῄζοντες ἥκοιεν;* responderunt: *ὅτι αὐτῷ ἐκείνῳ (τῷ Καίσαρι) ἐροῦσιν* [10]). Atque excusatione opus fuisse Salustio neque ea ita satisfecisse Caesari, ut omnis suspicio tolleretur, equidem ex eo coniecerim, quod ubi ad Cercinam insulam misit Salustium, ita imperavit Caesar, ita praecepit, uti fieri posset necne, locum excusatio nullum haberet, nec moram tergiversatio (bell. Afr. 8).

---

[1]) Lang III. 427.

[2]) B. Afr. 8.

[3]) III, 427[10].

[4]) Suet. Caes. 76.

[5]) *χιλίας δραχμάς* = 963, 4 denarios = 4 HS.

[6]) b. c. II, 92: *ὁ δὲ (Καῖσαρ) ἐπηγγέλλετο μὲν αὐτοῖς ἀόριστα τινα ἐν Φαρσάλῳ καὶ ἑτέρα ἀόριστα, ὅταν ὁ ἐν Λιβύῃ πόλεμος ἐκτελεσθῇ, τότε δ' ἔπεμπεν ἄλλας ὁρίζων ἑκάστῳ χιλίας δραχμάς. οἱ δὲ αὐτὸν οὐχ ὑπισχνεῖσθαι μᾶλλον ἢ αὐτίκα διδόναι πάντα ἐκέλευον καὶ περὶ τῶνδε Σαλούστιον Κρίσπον πεμφθέντα πρὸς αὐτοὺς ὀλίγου καὶ διέφθειραν, εἰ μὴ διέφυγεν.*

[7]) 42, 52, 1. 2: *ἐν Καμπανίᾳ οἱ πλείους αὐτῶν (τῶν στρατιωτῶν).. ἦσαν. οὗτοι τόν τε Σαλούστιον παρ' ὀλίγον ἀπέκτειναν, στρατηγὸς γὰρ ἐπί τῷ τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν ἀπεδέδεικτο, καὶ ἐπειδὴ καὶ εκεῖνος διαφυγὼν αὐτοὺς ἐς τὴν Ῥώμην πρὸς τὸν Καίσαρα ὥρμησε, τὰ γιγνόμενά οἱ δηλώσων, ἐφέσποντό τε αὐτῷ συχνοὶ μηδενὸς φειδόμενοι καὶ ἄλλους τε τῶν ἐντυχόντων σφίσι καὶ βουλευτὰς δύο ἔσφαξαν.*

[8]) [Caes. 51]: *καὶ κακῶς ἤκουσεν (ὁ Καῖσαρ), ὅτι τῶν στρατιωτῶν στασιασάντων καὶ δύο στρατηγικοὺς ἄνδρας ἀνελόντων Κοσκώνιον καὶ Γάλβαν ἐπετίμησεν μὲν αὐτοῖς τοσοῦτον, ὅσον ἀντὶ στρατιωτῶν πολίτας προσαγορεῦσαι, χιλίας διένειμεν ἑκάστῳ δραχμάς.*

[9]) cf. Dio Cass. 42, 52, 2: *παρ' ὀλίγον ἀπέκτειναν, στρατηγὸς γὰρ ἀπεδέδεικτο.*

[10]) Dio C. 42, 52, 3. 4.

Seditione enim repressa Caesar sub finem anni 707/47 (inter XVIII et V Kal. Ian.) in Africam traiecit ibique continuo usus est Salusti opera. Nam ubi IIII Non. Ianuarias pervenit ad oppidum Leptim et secundum litus castra posuit[1]) ex eo loco „C. Salustium Crispum ad Cercinam insulam versus, quam adversarii tenebant, cum parte navium ire iubet, quod ibi magnum numerum frumenti esse audiebat. Haec ita imperabat, ita unicuique (et nuntiis in Siciliam missis et Rabirio et Salustio) praecipiebat, uti fieri posset necne locum excusatio nullum haberet nec moram tergiversatio[2]). Quam rem et adversariorum ignavia et sua virtute bene gessit. „Paucis (enim) post diebus C. Salustius Crispus Cercinam pervenit. Cuius adventu C. Decimius quaestorius, qui ibi cum grandi familiae suae praesidio praeerat commeatui, parvulum navigium nactus conscendit ac se fugae commendat. Salustius interim praetor a Cercinitanis receptus magno numero frumenti invento naves onerarias, quarum ibi satis magna copia fuit, complet atque in castra ad Caesarem mittit".[3]) Ipse igitur Salustius cum nusquam bello interfuisse memoretur, iussu Caesaris Cercinam insulam peropportunam, ut castra et exercitus a meridie tueretur atque commeatum, quo abundabat, suppeditaret, cum aliquot navibus ab hostibus defendisse videtur eoque officio Caesari satisfecisse. Victis enim Caesar VIII Id. Apr., quas Scipio et Iuba ad Thapsum coegerant, copiis reliquisque hostibus aut interfectis aut fugatis „ex regno[4]) proviciam[5]) fecit atque ibi Crispum Salustium pro consule cum inperio reliquit".[6]) Salustio Zamae relicto Caesar Vticam se recepit ibique, postquam ingentes multas imposuit civitatibus, Idibus Iun. classem conscendit et a. d. V Kal. Sext. ad urbem Romam venit (bell. Afr. 97. 98.) Salustium igitur a mense Iunio 708/46 usque sub finem anni 709/45 Nomidiam provinciam administrasse statuendum est. Quae administratio, cum magno honori esset Salustio, quippe qua quanti eum fecerit Caesar manifestum fieret, tamen cum magna ei ex ea oreretur invidia, non minori fuit dedecori. Fuerunt enim qui eum arguerent non satis legitime in ea sibi magnas comparasse divitias adeoque repetundarum iudicium vix effugisse. Quare paulo uberius de ea disseremus.

Cap. XIII. Quomodo provinciam administraverit Salustius?

Vetustissimus huius rei testis est auctor Invectivae, qui his verbis in Salustium invehitur (7, 19 Iord): At postea quam praetor est factus, modeste se gessit et abstinenter. non ita provinciam vastavit, ut nihil neque passi sint neque exspectaverint gravius in bello socii nostri, quam experti sunt in pace

[1]) bell. Afr. 7.

[2]) bell. Afr. c. 8. Male addit Gerlach[2] pag. 17. cap. 14.

[3]) b. Afr. 34.

[4]) Iubae. Masanassae *(Ἰόβα συμμάχου)* regni partem dedit Sitio Catilinario. App. b. c. 4, 54.

[5]) Numidiam = Africam novam. Dio C. 43, 9, 4. App. b. civ. 4, 53.

[6]) bell. Afr. 97, Dio C. 43, 9, 2 sq. App. b. c. 2, 100: *καὶ τὴν ἀρχὴν τὴν Ἰόβα Καῖσαρ ὑποτελῆ Ῥωμαίοις ἐποίησεν αὐτῇ Σαλούστιον Κρίσπον ἐγκαταστήσας.*

hoc Africam interiorem [1]) obtinente? unde tantum hic exhausit, quantum potuit aut fide nominum traici aut in naves contrudi: tantum inquam exhausit, patres conscripti, quantum voluit, ne causam diceret, sestertio duodeciens cum Caesare paciscitur, quodsi quidpiam eorum falsum est, his palam refelle, unde, qui modo ne paternam quidem domum redimere potueris, repente tamquam somnio beatus hortos pretiosissimos, villam (Tiburti) C. Caesaris, reliquas possessiones paraveris. nec piguit quaerere, cur ego Crassi domum emissem, cum tu eius villae dominus sis, cuius paulo ante fuerit Caesar, modo, inquam, patrimonio non comesto [2]) sed devorato quibus rationibus repente factus es tam adfluens et tam beatus? nam quis te faceret heredem, quem ne amicum quidem suum satis honestum quispiam sibi ducit nisi similis ac par tui?" Eadem fere vitio tribuit Sallustio Cassius Dio (43, 9, 2 sq.) (*Καῖσαρ*) *τοὺς Νομάδας λαβὼν ἔς τε τὸ ὑπήκοον ἐπήγαγε καὶ τῷ Σαλουστίῳ λόγῳ μὲν ἄρχειν ἔργῳ δ' ἄγειν τε καὶ φέρειν ἐπέτρεψεν. ἀμέλει καὶ ἐδωροδόκησε πολλὰ καὶ ἥρπασεν, ὥστε καὶ κατηγορηθῆναι καὶ αἰσχύνην αἰσχίστην ὀφλῆσαι, ὅτι τοιαῦτα συγγράμματα συγγράψας καὶ πολλὰ καὶ πικρὰ περὶ τῶν ἐκκαρπουμένων τινὰς εἰπὼν οὐκ ἐμιμήσατο τῷ ἔργῳ τοὺς λόγους. ὅθεν εἰ καὶ τὰ μάλιστα ἀφείθη ὑπὸ τοῦ Καίσαρος, ἀλλ' αὐτός γε ἑαυτὸν καὶ πάνυ τῇ συγγραφῇ ἐστηλοκόπησε.* Haec Dionis verba Ioanni Xiphilino digna visa sunt, quae in epitomen [3]) describeret. Haec sunt vetera, quae equidem cognovi, huius rei invidiosae testimonia. Posteriores Salustium passim vehementer eam ob causam vituperarunt [4]), nostrae aetatis scriptores [5]) omnem fere culpam alius alio modo ab eo removere conantur.

Nobis antequam in rem ipsam inquiramus de fide et auctoritate testium pauca videntur esse dicenda. Nam ut testium auctoritatem infringant, Dietsch (praef. 6.) Invectivae fere nullam fidem habendam esse statuit, Kritz (praef. 12) qui putido illi conviciatori temere credant, rerum Romanarum aut prorsus ignaros aut parum memores esse dicit, Dionem autem ex Lenaeo aut rhetorum commentis aut aliunde temere collecta nec satis intellecta pro ingeni sui captu protulisse putant [6]), quod mihi quidem non probatur. Nam auctori Invectivae, cum aliquam probabilitatem secutus sit, neque in aliis cum privatis tum maxime publicis rebus neque in hac re, quae optime congruat cum misera Romanarum provinciarum conditione, fides est neganda. Lenaeus autem ne attigisse quidem videtur Numidiae administrationem, quae ne verbo quidem a Sueton. (Gr. 15) significetur. Ex rhetorum denique commentis temere hausisse Dionem tam grave iudicium non adducor ut credam. Neque ex verbo

[1]) Omnium librorum mscr. scripturam tenendam esse puto contra Iordanum, qui cum Corrado (Quaest. p. 123) inferiorem scripsit perperam collato loco Sall. Iug. 18, 12.

[2]) sic Iordan conl. Diomede (387, b), qui hunc locum adfert ex »Didio«, (codd.) Didymo (edd. vett.) vel Epidio (Linker) vel Tullio (Iord.)

[3]) Dindorf vol. V. *Ἰούλιος*. p. 26, 6 sq.

[4]) Pomp. Laetus, Chrys. Soldus, alii.

[5]) Kritz p. 12, Dietsch praef. p. 11, Iacobs praef. p. 4.

[6]) Kritz p. 13, Dietsch p. 11.

ἐμιμήσατο cum Kritzio confecerim Dionem adeo in ea re a vero aberrasse, ut Salusti scripta ante provinciae administrationem edita putaret, neque si putasset, ei fidem in aliis non habendam putarem. Immo verbis *οὐκ ἐμιμήσατο τῷ ἔργῳ τοὺς λόγους* Dio significasse mihi videtur illud Salusti (C. 3, 2): facta dictis exaequanda sunt. Dempta igitur nonnullorum verborum acerbitate ab ira et partium studio profecta res ipsa ex auctoritate testium non potest impugnari, praesertim cum idem omnium fere et auctoris Invectivae et Dionis aequalium de Salusti administratione provinciae iudicium fuisse ex ipsis eorum verbis facile intellexeris.

Ex rebus adiunctis autem ipse auctor Invectivae profert argumentum; non enim „ineptissimum" esse ut Kritzio ita mihi videtur illud argumentum. Immo maximas post administratam provinciam Salustium Romam rettulisse divitias omnibus est exploratum. Eius rei testes verissimi nullo tempore non fuerunt pretiosissimi horti Salustiani, de quibus infra uberius exponemus, testes fuerunt aliae Salusti possessiones, ut villa Tiburtina Caesaris, aedes Pompeianae, testis fuit ipsius et eius nepotis, quem in nomen adscivit, vita otiosa, lauta, opulenta. Atqui ante provinciam administratam non divitem immo vero pauperem et aere alieno pressum fuisse Salustium omnes fere concedunt. Ergo in provincia eas sibi collegit divitias. Nam quod Dietsch (praef. pag. 11.) opinatur eas aut mercatura aut negotiatione aut ex venditis Pompeianorum bonis partas esse, ille non reputat tempus breve et quaestui iniquum et Salusti ingenium neque mercaturae neque negotiationi aptum neque tantas divitias iis rebus comparari, in Pompeianorum autem bona iam involasse Antonium [1]) aliosque, qui tum in Italia adfuerunt.

Quaeritur igitur iure an iniuria tantas in provincia collegerit divitias? Atque non sum ita rerum Romanarum ignarus, qui negaverim omnes fere qui provinciis praefuissent locupletatos redisse idque ex consuetudine Romana aut inhonestum aut poena dignum fuisse contenderim. Etiam illud Kritzio (p. 12) facile concedo, non magnitudinem pecuniae comparatae, sed iniurias modo provincialium atque vexationes in iudicium venisse, neque id magni facio, quod Romam reversus repetundarum accusatus esse videtur (Kr. p. 13). At iis omnibus non liberatur crimine Salustius: tantas divitias non sine iniuriis et rapinis comparare potuit. Quod autem ex belli Afr. capp. 90. 97 et ex Dionis verbis colligunt [2]) Caesarem ipsum graves multas iniunxisse Numidiae civitatibus Salustiumque „castigandis urbibus" reliquisse, Salustium iussu Caesaris diripuisse provinciam et solito plus ex ea, quo ipse augeretur, exegisse, vehementer errare mihi videntur. Nam iis belli Afr. locis nonnisi veteris provinciae Africae civitatibus in iisque prae ceteris civibus Romanis (c. 90) multas iniunxisse Caesarem narratur et Dionis locus, id quod iam Gerlach bene vidit (praef. p. XVIII.), non ita est accipiendus, ut Caesar eo consilio, ut multas exigeret, Salustium reliquisse dicatur, sed ut suum iudicium interposuisse Dio-

---

[1]) Cic. Phil. 2, 25, 62.

[2]) Kritz pr. 13. Dietsch praef. 12[1] orat., p. 28.

nem statuatur. Neque aptius quidquam ad bellum redintegrandum fuisse putaverim, quam civitatibus Numidiae, quae Iubae regis sui iussu Caesaris adversariae fuerant, quas praeter unam Zamam ne viderat quidem Caesar, nedum expugnaverat, graves multas iniungere. Quas si imperasset, certe ipse exegisset, ante quam Romam reversus quattuor triumphos ageret. Ergo Caesaris nomine aut iussu exegisse multas Salustium easque paulo graviores, quo ipse augeretur, equidem non credo. At non est neglegendum, id, quod est in bell. Afr. c. 97: „cum imperio“ Salustium relictum esse pro consule. Quamvis enim Caesar de Iuba triumpharet et pacata videretur esse Numidia, tamen non pacatam fuisse ex omni narratione belli Africani intellegitur. Immo ex natura et ingenio Numidarum conici potest, id quod ipsis Invectivae et Dionis verbis indicari mihi videtur, non ita levi negotio singulas gentes et civitates Romanis se dedidisse eoque frequentem Salustio multarum occasionem dedisse. Quod enim in Invectiva paci bellum opponitur, maligne et in Caesarem et in Salustium dictum esse puto; videbatur enim pax esse, cum esset bellum. Idem etiam Dio opponendo λόγῳ . . ἔργῳ significare mihi videtur. Eas igitur multas, cum suo negotio paratas putaret, quasi manubias non in publicum redegit secutus ea in re Caesarem, quem eadem via bello Gallico (iure an inuria non liquet) magnas sibi parasse pecunias ex effusis eius largitionibus et magnificis aedificiis optime noverat. Quare Caesar cum se aut eiusdem criminis postulari aut bene administratarum Galliarum et in provinciam redactae Numidiae gloria spoliari posse videret, Salustium aut ne causam diceret secum pacisci passus est sestertio duodeciens, quo pretio ei fortasse Tiburtinam villam concesserit, aut accusatum dimisit, unde nescio an coniectatum sit Caesaris iussu Salustium comparasse divitias. Quod quamquam neque Caesar neque Salustius iniuria factum putabat, tamen magnam vulgi in utrumque movit invidiam. Testes sunt etiam milites, qui in Caesaris triumpho inter cetera carmina (Suet. Caes. 49) hoc fere cantabant: „Plecteris si bene facies, si male facies rex eris“ [1]. Nos igitur, ne simus iniqui iudices, neque damnaverimus Salustium neque omni dedecore liberaverimus. Certe honestius administrasset provinciam, si multas aut non exegisset aut in publicum redegisset. At qui potuit Salustius ita vehementer scriptis invehi in eos, qui reipublicae subtractis divitiis se ipsi locupletassent, ut Bestia, Scaurus, alii, cum idem ipse fecisset neque dicta factis exaequasset? In eo enim vehementer eum accusat Cassius. Pauca respondebimus. Et primum quidem non idem fecisse Salustium ac Bestiam aut Scaurum; illi enim cum gravi reipublicae incommodo ab hostibus pecuniam acceperunt, bonum publicum hosti vendiderunt: hic quasi belli iure multas a victis exegit, respublica nullum ex eo cepit detrimentum, nisi quod lucrum, quod utrum reipublicae deberetur necne, non ita fuit exploratum, cessavit. Suo iure igitur Salustius et illos obnoxios culpae et se culpa vacuum existimare potuit. Deinde dicendum est Salusti temporibus longe aliam

---

[1]) Lang. III, 437. Dio Cass. 43, 20, 3: *τέλος δὲ ἐφ' ἅπασιν αὐτοῖς ἀθρόοι ἀναβοήσαντες εἶπον ὅτι, ἂν μὲν καλῶς ποιήσῃς, κολασθήσῃ, ἂν δὲ κακῶς, βασιλεύσεις.*

fuisse reipublicae conditionem. Caesarem enim, qui summa videbatur respublica esse, idem fecisse cognoverat. Quod ergo in Caesare ne verbo quidem notandum esse putaverat[1]), num idem in se notare debuit? Denique non est neglegendum facta ante dicta fuisse; nam etiam Dio verborum serie indicat eum, postquam *ἀφείθη, στηλοκοπῆσαι ἑαυτὸν τῇ συγγραφῇ* et satis longum intercessit temporis spatium et rerum gravium et adversarum plenum, ex quibus fortasse intellexerit et se et illos culpae obnoxios esse. At ut imbecillitatis fuisset aliorum vitia castiganda suae culpae concedere, ita ineptum sua palam profiteri seque iis quos vituperaret adnumerare. Quod cum in commentatione de moribus et scriptis uberius expositIuri simus, haec hoc loco dixisse satis erit. Reliquum est, ut inquiramus,

Cap. XIIII. Quando provincia decesserit Salustius et cur recesserit a re publica?

Atque Dietsch (praef. 3 p. 11) eum non ante initium anni 709/45 Romam reversum esse putat et Kritz (praef. p. 4) totum annum 708/46 in Numidia versatum proximo Romam redisse dicit. Vterque igitur Salustium initio fere anni 709/45 decessise provincia statuere mihi videtur. At Lange (III, 448) haec habet: in Numidia mansit (in annum 709/45) C. Salustius Crispus; in Africam missus est Qu. Cornificius et (III. 456) Numidiam obtinuit in annum 710/44 T. Sextius[2]). Sextium igitur non ante annum 710/44 successisse Salustio putat Lange, Salustium non ante initium eiusdem anni provincia decessisse, ergo duos fere annos (46 et 45) obtinuisse Numidiam. Cui sententiae officere videtur, quod Dio Cassius (43, 25, 3) Caesarem iam anno 46 lege cavisse dicit, quo minus praetorii diutius quam annum provinciam tenerent.[3]) Salustio igitur ex lege Iulia de provinciis succedi debuit in annum 45; praesertim cum ex iis, qui anno 708/46 consulatum aut praeturam gesserant, alios anno 710/44 demum provinciam nactos esse, aliis pecunia satisfactum esse exploratum sit[4]). Sed in Salustium minus firmum videtur esse hoc argumentum, is enim anno 708/46 non fuit praetorius, quem Lange[5]) eum fuisse statuit, sed praetor[6]). Itaque si nominibus insistendum putaveris, reliquos novem menses anni 708, si duo

[1]) cf. Cat. c. 51.

[2]) cf. Dion. Cass. 48, 21. 1: *ἦρχον δὲ πρὸ τῆς τῶν τριῶν ἀνδρῶν συνωμοσίας* (mense Iunio 711/43) *τοῦ μὲν Νομαδικοῦ Τίτος Σέξτιος, τοῦ δὲ ἑτέρου ὅ τε Κορνουφίκιος καὶ Δέκιμος Λαίλιος.* App. b. c. 4, 53: *Σέξτιος οὖν ὑπὸ Καίσαρι τῆς Νέας (Λιβύης) ἡγούμενος ᾔτει Κορνιφίκιον ἐκστῆναί οἱ τῆς Παλαιᾶς, ὡς Λιβύης ἁπάσης ἐν τῇ λήξει τῶν τριῶν ἀνδρῶν Καίσαρι νενεμένης. Ὁ δὲ (Κορνιφίκιος) οὐδὲ τὴν ἀρχήν, ἔφη, παρὰ τῆς βουλῆς λαβὼν ἄλλῳ μεθήσειν χωρὶς αὐτῆς.*

[3]) *Καῖσαρ κατέκλεισε νόμῳ τοὺς μὲν ἐστρατηγηκότας ἐπ᾽ ἐνιαυτόν, τοὺς δὲ ὑπατευκότας ἐπὶ δύο ἔτη κατὰ τὸ ἑξῆς ἄρχειν καὶ μηδενὶ τὸ παράπαν ἐπὶ πλεῖον ἡγεμονίαν τινὰ ἔχειν ἐξεῖναι.*

[4]) Lang. III. 455.

[5]) Lang. III, 43.

[6]) b. Afr. c. 8.

intercalares dierum septem et sexaginta adnumeraveris, praetorem pro consule cum imperio, annum 45 praetorium eum provinciae praefuisse nescio an recte dixeris. Accedit quod, si extremo anno 46 aut initio anni 45 provincia decessisset, neque Caesar, cum Hispaniensi bello occupatus ab urbe abesset, aut ne causam diceret prohibere aut accusatum dimittere potuisset neque Salustius cum eo pacisci aut Tiburtinam villam emere. Quin etiam tum, cum Caesar bello Hispaniensi confecto Romam reversus et suo et legatorum triumphis de civibus actis multorum animos offendit [1]), in provincia fuisse Salustium statuunt ii, qui epistulam I. ad Caes. de republica, qua monet Caesarem, ne male utatur victoria de civibus reportata, Numidia datam esse putant. Ergo eum sub finem anni 45 cum magnis divitiis in provincia collectis Romam rediisse censendum est. Atque eo ipso tempore Caesar in iudiciis de ambitu ex lege Pompeia habitis [2]) „ius laboriosissime ac severissime dixit; repetundarum (lege Iulia) convictos etiam ordine senatorio movit" [3]). Eadem igitur lege Iulia Salustium quoque postulaverint fortasse aut postulare paraverint, ut litem nomine in Salustium re in ipsum Caesarem cui scandalum pararent, intenderent Caesaris inimici. Nam si condemnaret Salustium, ipse eadem sua lege reus esse videbatur; sin absolveret iniquius et gravius in eos, quos modo senatu moverat, consuluisse videbatur. At Caesar, cum pro sua potentia magis quam potestate liberaret Salustium, maiorem etiam et sibi et illi paravit invidiam. Accessit rumor, magnam pecuniam [4]) a Salustio accepisse Caesarem, Salustium a Caesare villam Tiburtinam. Quae quamquam emptio iusta et aequa fuisse mihi videtur, tamen, ut fieri solet, quo augeretur invidia pecunia et villa separatim data et accepta esse dicebatur. Atque haec ipsa iudiciorum pericula et invidiam inde exortam iis rebus adversis adnumeraverim, quae sibi in re publica fuisse conqueritur Salustius (Cat. 3, 3). Tam etsi enim animus insolens malarum artium audaciam, largitionem, averitiam aspernabatur, tamen cum honoris cupidum (Jacobs ad l.) eadem quae ceteros fama atque invidia vexabat (Cat. 3, 4). Igitur ubi animus ex iis miseriis atque periculis requievit, sibi reliquam aetatem a republica procul habendam decrevit (C. 4, 1). Quod enim honoris repulsam a Caesare acceptam iis verbis significari Dietsch (or. p. 28.) ex eo colligendum esse putaverat, quod Salustius non sit inter consules in proximos annos (44—41) a Caesare designatos, postea [5]) ita retractavit, ut Caesarem cum imperio secuturum fuisse Salustium putaret, mihi quidem adeo non probatur, ut Salustio iam ea tempestate, quoniam neque virtuti honos dabatur, ut M. Antonio consulatus in annum 44 [6]), neque quibus dabatur, illi tuti aut eo magis honesti erant, magistratus et imperia postremo omnem curam rerum publicarum minime cupiundam visam esse putaverim (Iug. 3, 2.).

---

[1]) Lang. III. 453. 454.
[2]) Lang. III. 463.
[3]) Suet. Caes. 43.
[4]) HS duodeciens = 1050000 fl. = 2100000 Mk.
[5]) D[3]. praef. p. 13[1].
[6]) Lang. III, 465.

Ex lite enim sibi intenta bene collegerat et periculosum esse magistratus gerere et pericula et liberationem se Caesari debere. Caesaris autem studium, qui multa per superbiam et libidinem ageret [1], ut in aliis Caesaris amicis, quibus quidem mens sana remanserat, ita in Salustio, postquam ex Africa rediit, brevi imminutum esse puto. Accessit quod magistratus non ita feliciter gesserat, ut non multo maiorem gloriam e memoria rerum gestarum sibi futuram esse speraret. Cum ergo neque honoris cupido ad magistratus adeundos impelleret, neque inhonesta et perniciosa eum teneret libido potentiae Caesaris decus atque libertatem suam gratificari [2], paulo post reditum ex provincia vivo etiam tum Caesare sed omnibus fere exoso a republica recessit et „a quo incepto studioque eum ambitio mala detinuerat, eodem regressus statuit res gestas populi Romani carptim, ut quaeque memoria digna videbatur, perscribere" (Cat. 4, 2). Id consilium brevi confirmatum est Caesaris caede, qua permotus optimus quisque a republica recessit et litteris se dedit, atque ut Cicero post Caesaris caedem scripsit libros de natura deorum, de divinatione, de fato, de amicitia, de senectute, de gloria, ita Salustium misera reipublicae conditione et Caesaris caede ad philosophiae et historiae studium reductum esse puto.

Cap. XV. Quomodo usus sit otio et quando mortuus sit Salustius?

Primum haud dubie ad coniurationem Catilinae scribendam animum adiecit, non modo quod hoc facinus imprimis memorabile existimavit periculi atque sceleris novitate (C. 4, 4), sed quod ei locus datus esse videbatur (Gerl[2] p. XXII) de moribus civitatis disserendi: Viderat enim homo ingeniosissimus et sua et Caesaris et reipublicae pericula a malis moribus civitatis profecta esse. Et cum in rebus gestis scribendis non voluptatem neque delicias sed reipublicae utilitatem spectaret, in Catilinae coniuratione malos mores aperte explanavit et castigavit. Accessit quod et ipse viderat coniurationem et de ea scribere sibi proposuerat et Caesarem fuisse coniurationis socium tum potissimum spargebantur falsi rumores. Quibus ut officeret, quam verissime potuit, de Catilinae coniuratione paucis absolvit (C. 4, 3). Atque absolutus esse videtur Catilinae liber eo anni fere spatio, quod inter Caesaris et Ciceronis caedem intercessit. [3])

Post Catilinam scriptum esse bellum Iugurthinum nemo facile negabit, qui huius libri exordium cum illo diligenter comparaverit. Isdem enim de rebus hoc disputat, quibus illo, sed multo plenius et gravius. Cum enim illo libro multis non satisfecisse videatur, iam altius in easdem res inquirit. Malos mores a natura quidem generis humani repetit, sed eam imbecillam esse negat; maiorem operam ac diligentiam ponit in redarguendis reprehensionibus, quae consilio suo obici possint et taedium suum rei publicae multo acerbius

---

[1]) Lang. III, 456 sq.

[2]) Iug. 3, 4. Kritz praef. p. 18 media contra Dietsch[3] praef. 18[1].

[3]) Id. Mart. 710/44 usque ad mensem Dec. 711/43. Dietsch[3] praef. p. 23.

declarat.[1]) Quare nescio an recte statuerim Iugurtham scriptum esse tristissimis illis temporibus, quae post alteram illam triumvirorum coitionem mense Iunio 701/43 factam secuta sunt. Salustio enim causae omnium malorum et Catilinae coniurationis et bellorum civilium ex illis potissimum temporibus videbantur esse repetendae, quibus primum superbiae nobilitatis obviam itum est: quae contentio divina et humana cuncta permiscuit eoque vecordiae processit, ut studiis civilibus bellum atque vastitas Italiae finem faceret (Iug. 5, 1. 2). Accessit quod illud bellum magnum et atrox variaque victoria fuit eiusque memoria administratione Numidiae provinciae Salustio renovata est. Quamquam regionem, locos, urbes aut non ita curiose, ut Kritz (praef. p. 23) et Cless (I p. 242) statuunt, in Numidiae administratione cognovisse aut in scribendo bello Iugurthino neglexisse mihi videtur; immo ne cogitasse quidem de bello Iugurthino scribendo mihi videtur tum, cum provinciam administravit, cum neque, quo quaeque res gesta sit loco, accuratius exponat atque describat[2]) et in ipso Africae situ exponendo ut in ceteris rebus ad libros scriptos confugisse videatur. Quod autem Franciscus Petrarca[3]) Crispum Salustium, quo fidelius res Africae complecteretur, libros Punicos perquisivisse dicit peregrinamque linguam per interpretem flagranti studio scrutatum, quin etiam maria transgressum, ut oculis suis crederet de conditionibus locorum, ad illud referendum puto, quod ipse Salustius sibi ex libris Punicis interpretatum esse dicit, qui mortales initio Africam habuerint quique postea accesserint, et quod ex praetura in Africa gesta nonnullam locorum cognitionem eius menti inhaesisse consentaneum est. Praeterea in eo bello scribendo usus esse videtur Salustius cum Actis publicis tum M. Aem. Scauri[4]) et P. Rutili Rufi[5]) et Sullae[6]) libris, quos de sua quisque vita conscripserat. Absoluto bello Iugurthino ingenioque historica arte exercitato Salustius Historiarum libros scribere agressus est, maius opus et duobus prioribus celebratius. Licet enim ex eo, quod Iug. 95, 2 dicit, alio loco se de Sullae rebus non esse dicturum, non possit confici, id quod conficiunt Gerlach (ed. 1852 p. 569) et Kritz (praef. p. 24) Salustium tum nondum cepisse consilium, immo ne cogitasse quidem Historiarum libros scribere (qui enim alium locum commemorasset, si nondum de eo cogitasset), tamen cum in hoc tantum opus exarandum multa essent colligenda, accuratius excutienda, examinanda atque in ordinem redigenda, aliquantum temporis inter bellum Iugurthinum et Historiarum libros interiectum fuisse Gerlachio (p. 569) facile concesseris.

Cum igitur non ante annum 714/40 vel 715/39 exarari coeptos esse Historiarum libros consentaneum sit[7]) et singulos singulis deinceps annis ab-

---

[1]) Dietsch ad Iug. 5, 4.
[2]) vid. Teuff. Sall. p. 10.
[3]) in rerum mem. libro I. ed. Basil. 1590. p. 11.
[4]) Cic. Brut. 29, 112.
[5]) Tac. Agr. 1.
[6]) Gell. n. a. 1, 12, 15. 20, 6, 3.
[7]) Kritz praef. p. 24.

solutos esse putaverim, paulo ante mortem Salusti vel quinque simul vel quintum solum editos esse in lucem nescio an recte statuerim. Composuit autem, id quod ipse sibi proposuisse dicit (hist. fr. I.) „res populi Romani M. Lepido Qu. Catulo coss. (676/78) ac deinde militiae et domi gestas.“ Cum igitur Historiarum principium ab eo anno, quo mortuus est Sulla, ordiri sibi proposuisset, suo iure dicere potuit Iug. 95, 2 alio loco se de Sullae rebus non esse dicturum. Non enim in historiis de Sullae natura et cultu et iis, quae ante civilem victoriam feliciter gessit, erat dicturus. Ea igitur in Iugurtha paucis comprehendit. Quae autem postea fecit, cum incertum haberet, puderet magis an pigeret disserere, omisit, nisi quod quae necessaria esse sibi videbantur ad historias bene intellegendas in prolixo earum prooemio supra repetens breviter persecutus est. Sumpsit autem illius potissimum temporis memoriam sibi illustrandam, quod non solum forma civitatis, quam Sulla per vim induxerat, per eos annos paulatim concussa debilitate sublata est, quae res illi potentiam nobilitatis peroso admodum gravis videri debuit, sed etiam ipsa res publica Romana tantis periculis domesticis et externis laboravit, ut vix unquam maioribus malis undique ingruentibus conflictaretur. Quae cum per se Salustium ad scribendum invitabant, tum haec causa accessisse videtur, quod illud tempus nondum a quoquam ea cura atque diligentia enarratum fuerat, quam poscebat rerum singularis natura atque gravitas. [1]) Quare nescio an L. Sisennae, qui optime quidem et diligentissime omnium, qui Sullae res dixere persecutus sed parum libero ore locutus esse videbatur, Historias [2]) ita continuare sibi proposuerit, ut quae ille parum libero ore locutus esset et ultimis belli Iugurthini capitibus (95, 2 sqq.) et Historiarum prooemio retractaret. Atque complexus est illis quinque historiarum libris duodecim annorum (676/78—687/67) memoriam, quod ex fragmentis, quorum nullum rem post annum 687/67 gestam significat, et ex Ausonio [3]) intellegitur, qui his versibus eorum ambitum describit:

A Lepido et Catulo iam res et tempora Romae
orsus bis senos seriem conecto per annos.

Vtrum autem longius progredi noluerit, an mors eum occupaverit, hoc in medio relinquendum esse bene contendit Gerlach (ed. 1852 p. 571). Licet enim non sint spernenda argumenta, quibus Kritz [4]) Salustium ultra annum 687/67 progredi noluisse probare conatur, licet illis addi possit etiam illud, quod Cat. 39, 1: „postquam Cn. Pompeius ad bellum maritimum atque Mithridaticum missus sit, plebis opes imminutas esse, paucorum potentiam crevisse“ dicit, tamen non ita firma mihi videntur esse, ut iis quasi certis finibus historiarum ambitus circumscribi possit; praesertim cum neque Salustius ipse earum sibi uti initium ita finem constituat [5]) et libri quinti ambitus ceteris

---

[1]) Kritz praef. p. 24; 25.
[2]) Teuff. R. L. H^2 153, 3 contra Kritz p. 25.
[3]) Idyll. IIII. vv. 62 sqq.
[4]) ep. crit. ad Ern. Wuestem. p. XIX.
[5]) fr. 1. M. Lepido Qu. Catulo ac deinde.

multo videatur fuisse angustior; ex quo facile quis confecerit Salustium aut morte aut morbo superventum ne illum quidem librum ad finem perduxisse. Vsus est autem cum in Catilina et Iugurtha tum in Historiis scribendis opera Attei Capitonis Philologi; haec enim de eo scribit Suetonius (gram. 10): Coluit postea familiarissime C. Salustium et eo defuncto Asinium Pollionem: quos historiam componere aggressos alterum breviario rerum omnium Romanarum, ex quibus quas vellet eligeret instruxit, alterum praeceptis de ratione dicendi." Quo quamvis multum iuvaret Salustium, tamen cum et in Catilina et Iugurtha et in Historiis nonnunquam turbata esse videatur rerum gestarum series [1]), aut non satis accurate exaratum fuisse videtur illud breviarium aut Salustius non bene eo usus.[2]) Sed utrumque alteri satisfecisse colligitur ex eo, quod eo demum defuncto Asinium Pollionem coluisse dicitur Atteius.

Atque mortuus est C. Salustius Crispus „quadriennio ante Actiacum bellum." Haec enim adnotavit Hieronymus ad annum Abrah. 1981 [3]): Salustius diem obiit quadriennio ante Actiacum bellum. Sed cum bellum Actiacum paratum quidem anno 722/32 sed postero demum anno 723/31 susceptum et gestum sit, illo quadriennio non annus 718/36 sed 719/35 vel 720/34 significari posse mihi videtur; praesertim cum de annorum computatione Eusebi et Hieronymi neque codicibus neque viris doctis constet, quod ad annum quo natus est Salustius, adnotavimus (Cap. II. pag. 10). Idem fere annus conficitur e Chronico Paschali (Fastis Siculis), unde haec profert Teuffel [4]) ad an. u. 715 *ὑπάτων Κενσωρίνου καὶ Σαβίνου: Σαλούστιος ἀπέθανε πρὸ τριῶν ἰδῶν μαΐων.*[5]) Cum enim in Chr. pasch. quater bini coss. omissi sint, Salustius ibi ann. urb. 719/35 L. Cornificio L. F. Sexto Pompeio Sext. F. coss. [6]) a. d. III Id. Maias mortuus esse dicitur. Errare igitur mihi videntur Gerlach qui [7]) L. Gellio Publicola M. Cocceio Nerva coss. (718/36) Salustium mortuum esse statuit, et Eduardus Munk, qui [8]) Salustium anno 667/87 natum, anno 718/36 mortuum esse dicit. Quod autem Cless [9]) Salustium LII annos natum III. Idus Maias 720/34 mortuum esse ex Fischero (p. 364) profert, cum, quibus nisus sit argumentis, ego cognoscere non possem, dubium relinquendum esse mihi putavi. Verum tenere mihi videntur Dietsch³ (praef. p. 13), Kritz² (proleg. p. 24), Jacobs (1874 praef. p. 6), alii, qui anno 719/35 mortuum esse Salustium dicunt.

M. Iaeger.

---

[1]) Iacobs ad C. 18, 3. I. 9, 3, ep. Mith. 5, 6.

[2]) Cless p. 244.

[3]) Ol. 186, 1 = a. u. 718 = a. Chr. 36.

[4]) Sall. 2, 2 L. R. H.² 205, 1.

[5]) In ed. Venet. 1729 cur. Caroli Du Fresne (Scriptores Byzant. Nr. 21. p. 146) sine dubio corruptus est locus, haec enim ibi inveni: *Ὀλ. ρπδ' δ' Γαίου Ἰουλ. Καίσαρος: Σαλούστιος ἀπέθανε πρὸ τριῶν εἰδῶν Μαίου.* Olympiadum enim numerus 184, 4 recte 185, 4 annum 717/37, consulis C. Iuli Caesaris Octaviani I vel II nomen annum 711/43 vel 721/33 significat.

[6]) Lang. III. 577.

[7]) 1852 praef. p. XIX.

[8]) Lit. R. Hist. II² (1877) p. 384 sq.

[9]) II. Cat. p. 244.